Adde ipsum *sedere* aliquando videri esse idem atque consilium dare. Nam servus ille apud Plautum dicebat.

Sine juxta aram sedeam, & dabo meliora consilia. Inde συνέδριον *consessus*, & *concilium considerantium* eo sensu, quo cecinit Ovidius a,

a 13. Metamorph.

Consedere duces.

Et adversum me loquebantur.) Proprie, *de me* בִּי *bi*, vel *in me*. Addita est vero conjunctio, quæ desideratur Hebraicè. Hieron. *etenim sedentes Principes adversum me loquebantur*. Quamvis Regia Biblia, demta conjunctione, lectionem eamdem tribuant Hieron. Verbum hujus loci נִדְבָּרוּ *nidberu* in *niphal* observant Rabbini significare *assiduitatem loquendi*. Legit Hilarius, *adversum me detrahebant*. Ambros. *detractabant*. Hanc vim habet κατ' ἐμοῦ κατελάλουν. Cautum legibus humanis est, ut reum judex, si à nemine defendatur defendat ipse. Iniqui ergo Principes, qui contra Davidem loquebantur nullo munitum defensore, immo ceteris, adeo malo exemplo, adversus eumdem debacchantibus. Detractio & calumnia & accusatio falsa, seu criminatio convenit Principibus illis tenebrarum, qui diaboli nominantur παρὰ τὸ διαβάλλειν, quod hæc omnia significat.

Judex reum si à nemine defendatur defendere debet.

Servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.) Hieronymus: *meditabatur præcepta tua*. Additum est quoq; *autem*, quamvis non recitet id Trevetus. Jam aliquoties per *justificationes* & δικαιώματα redditum est nomen חֻקִּים *chukkim* & verbum שִׂיחַ *siach* per ἀδολεσχεῖν, & *exerceri*: quamvis versu 20. quæ vocantur etiam latinè *justificationes*, aliis nominibus, Hæbræo & Græco, appellentur quæ valent *judicia*, ut ibidem admonui. Hilarius exercitationem justificationum cum meditatione testimoniorum, de qua sequenti versu, ait esse, quando legis opera per corporales efficientias exercentur, sed quæ sint *justificationes* dictum jam diu ante.

Vers. 24.) Nam & testimonia tua meditatio mea est, & consilium meum justificationes tuæ.

Sensus loci.

HÆc est exercitatio in justificationibus Dei, de qua proxime dixerat: ut nimirum in divinis præceptis meditandis dulciter occuparetur: inde peteret consolationem, inde consilium: ibi versaretur illius recreatio, ibi, ejus quasi senatus, & consiliarii essent, quos in rebus dubiis consuleret, & adhiberet in consilium: &, ut ait Salomon b, loqueretur cum eis. Hoc est consilium contra consilium, inquit August. exponentes de consilio patientium martyrum, ut se perdere volentes, ac jam perditos inimicos, ipsi invenire vellent, reddere pro malis bona unde factum, ut martyres mortem patientissime perferent: gentes, illis orantibus, ad æternam vitam pervenirent. Admirabilis constantia martyrum ex hac oriebantur jugi divinorum meditatione testimoniorum, quodq; in summa illa deliberatione deuenda vita, vel obeunda morte caperent consilium à Dei justificationibus. Reac nomine sanctus Diaconus Viennensis in tormentis interrogatus, nihil aliud nisi Christianum se esse respondit: hoc sibi nomen, hoc genus & patriam esse, aliud omnino nihil esse, quam Christianum. Idem sexu, atque conditione, non animo inferior Blandina Lugdunensi. Testantur litteræ Christianorum apud Viennam, & Lugdunum habitantium recitatæ ab Eusebio c. Martyres Cyprianus d, seu Confessores jam passos multa pro fidei testimonio, ipsis gratulatus, hortabatur, ut nihil versaretur in cordibus & mentibus eorum, quam divina præcepta & mandata cœlestia, quibus eos ad tolerantiam passionum Spiritus Sanctus semper animaverat. Ad extremum cunctis necessarium & tutum est, ut ait Basilius e, ut semper atq; ubiq; illud servetur quod dictum est à Davide hoc loco, *consilium meum justificationes tuæ*. Hoc est audire ac sequi Deum, & inire cum illo in omni re, cumq; ipsius lege consilium, *sollicitum ambulare cum Deo*, & *coram Deo* f, *semper providere eum in conspectu suo* g; satisfacere velle voluntati ipsius ad nutum: *adimpleri agnitione, atq; amore voluntatis* h *ipsius bonæ, beneplacentis, perfectæ* i. Necessarium præcipue principibus hoc monitum, quo propiores Deo sunt secundùm dignitatem potestatemque, sicut quanto inter homines aliqui propius attingunt, summi personam officiumq; Principis, hoc debent ac niti solent, ejusdem sese ad voluntatem magis recommodare. Alioquin horrende, & cito apparebit judicium durissimum his qui præsunt, si *non recte judicaverint, nec custodiverint legem justitiæ nec secundùm voluntatem Dei ambulaverint* k, κατὰ τὴν βουλὴν, quæ *consilium* etiam significant. *Reprobat Deus consilia Principum* l, *qui faciunt consilium, & non ex ipso, & ordiuntur telam, & non per spiritus ejus* m, & non consulto eo qui vocatur *consiliarius, magniq; consilii Angelus* n: Multo absque ulla comparatione melior & sapientior, quam Consus, qui de rapiendis dedit Sabinis consilium, ille qui *rapinam non arbitratus est esse se æqualem Deo*, ex Virgine veluti naturam rapuit humanam, cui conjungeretur. Inde Josue deceptus est, universiq; Israel in fœdore cum Gabaonitis, *quia os Domini non interrogaverunt* o neq; consulerunt. Consilium Caiphæ p, sociorumq; contra Christum consultoribus juxta parœmiam, pessimum fuit. Inter monita quæ senior juniori Tobiæ dedit supremam adisse sibi existimans vitæ horam ultimum sed momento primum fuit, *pete à Deo ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant* q: quamvis paullo ante r etiam monuerit, ut *consilium semper à sapiente perquireret*, qui nempe non discrepet ad Auctore consilii boni Deo: & *dentes habeat sicut greges tonsarum, quæ ascendunt de lavacro omnes gemellis fœtibus* s, per quos *dentes* prudentia consilia designatur. Digeruntur agendæ res prima ut dicunt, digestione, per subtilem quasi comminutionem consiliis factam intra os orationis; quæ consilia solida sint & incorrupta instar dentium, adjuncta ovina simplicitate, candore, æquabilitate, ut ita sortiantur effectum. Ex divina lege petere Regem consilia voluit, jubens ut *postquā sedisset in solio regni sui, describeret eam sibi, haberet secum, legeretque omnibus vitæ suæ, ut disceret timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt* t. Indidem Deus monuit Josue *dirigere debere viam suam & intelligere eam* u. Jojadas quoq; sacerdos *posuit cum diademate testimonium super caput Joas Regis septennis* x, idest, inquit glossa legem Dei, qua doceretur qualiter viveret, & quid ageret & faceret, ut addit Lyranus, legem observari. *Deus est qui habet consilium & intelligentiam* y, qui *dirigit consilium & disciplinam*: qui ut profanus etiam scripsit Auctor z, (dat consilia magnifica & recta.) Greg. a admonet rectores, ut Deum consulant, Moysis exemplo, qui tam crebro intrabat tabernaculum, consulturus Deum. (Consiliorum gubernaculum lex divina sit,) ait Cypr. b: Plinius c (nihil rectè, nihilque providenter homines sine deorum immortalium ope, consilio, honore, auspicari.) De nostro Davide sæpius Deum consulisse legimus d minimum sexies, & justum scribens Sapiens e *in absconditis Dei consiliarii*.

Admirabilis martyrum constantia unde orta.

b Prov. 6. 22

c 5. hist. c. 1. d epist. 8.

e Reg. 289. ex brevi. f Mich. 6. 8. Gen. 17. 1. g Ps. 15. 8. h Coloss. 1. 9. i Rom. 12. 2.

Principes & magistratus quo in altiori gradu constituti sunt eo diligentius justitiam exercere, & sese Dei voluntati conformare debent.

Nihil Deo inconsulto

k Sap. 6. 5. l Ps. 32. 10. m Es. 30. 1. n cap. 9. 6. sec. LXX. o Jos. 9. 19. p Joan. 11. 50. & seq. q Tob. 4. 20. r vers. 19. s Cant. 4. 2. t Deut. 17. 18. 9. u Jos. 1. 8. x 4. Reg. 11. 12. 21. y Job 12. 13. z Eccl. 39. 10. a Sen. ep. 41. b 2. p. Past. c. 5. c in epist. d paneg. e 1. Reg. 23. 2. 4. c. 30. 7. 2. 2. 1. 5. 19. 28. c. 21. 1.

Nam & .) Hieron. *sed &*. Eadem hic vox גַּם *gam* quæ versu præcedente, serviens hoc quoque loco amplificationi, non autem necessario ætiologiæ.

Testimonia tua meditatio mea est.) Hieron. *voluptas*. Est hic μελέτη & שַׁעֲשׁוּעַ *sciahhasciuah*, sicut in vers. 16. verbum *meditabor* μελετήσω אֶשְׁתַּעֲשָׁע *eschahhasciahh*. Relege ibi dicta.

Et consilium meum justificationes tuæ.) Hilarius & Ambros. *consilia*. Græcè αἱ συμβουλίαι. Apollin. βουλεύματα. In Romano Psalt. & apud Cassiod. *consolatio* Hieron. *quasi viri amicissimi mei*, apud Trevetum, *quasi viri consilii mei*, quod proprius accedit ad Hebræum textum עֲצָתִי אַנְשֵׁי *ansce hhatsathi*. Sed quibus nostra communicamus consilia, quosq; consulimus, amicissimorum habemus loco, qui etiam esse pauci debent juxta Sapientis f consilium, *multi pacifici*, (εἰρηνεύοντες *pacem tecum habentes*) *sint tibi, & consiliarius sit tibi unus de mille*, quia videlicet pauci fidi, pauci sunt prudentes, cum quibus tam audacter loquare, quam tecum, ut ait Seneca g. Consiliarius unicus charitas est. h Ama, inquit alicubi Augustin. & fac quod vis. Quum hac habendum mysterium consilii nostri, seu eum Deo, qui charitas est. Ibi salus ubi multa ab uno consiliario isto consilia; nec umquam pœnitebit post factum, qui secutus fuerit hæc consilia. Unus ut prædixi Christus consiliarius tuus esto, electus de millibus.

f Eccl. 39. 10 Consiliarii pauci esse debent.

g Eccl. 6. 6.

h Epist. 3. Unus consiliarius Christus.

DALETH.

Vers. 25.) Adhæsit pavimento anima mea, vivifica me secundùm verbum tuum.

Sensus loci.

PRetermeditationem, & consilium, de quibus priore versu, opem implorat, & auxilium tantis vexatus malis dum non vulgares, ac plebeii dumtaxat, sed Principes ipsi primariiq; contra ipsum loquuntur, & accusant, ita ut præ mœrore ad mortem prope redactus, in pulverē mortis conversus, ad foveam perductus, affixus terræ sit, vel supplicis ritu, humi prostratus corpore toto. Quare vitam sibi servari aut etiam restitui flagitat, juxta id, quod promisit Deus de ipso confidentibus, *quoniā non in solo pane vivit homo sed in omni verbo, quod procedit de ore illius* a, secundùm vim quæ inest legi meditatæ simul, & custoditæ, *promissionē habenti ejus, qui nunc est* non solum *futuræ vitæ* b, & ut quocumque demum vivat modo, vivat, & vitales omnes actiones exerceat, veluti ex vitali principio legis, voluntatisque divinæ, ita ut non jam ipse, sed vivat in ipso Deus, lex, voluntas illius, possitq; *vir volūtatis Dei* appellari c; & vocari possit *voluntas Dei in eo*: d nec amplius adhæreat carnalibus affectibus, sed soli *Deo adhærere bonum sibi* ducat e: quoniam *qui ei adhæret unus spiritus fit* cum ipso f. Nemo enim est, ait Prosper, cum August., cujus *animā corruptibile corpus, & in habitatio terrena non aggravet* g, & cujus concupiscentia, quæ *concupiscit adversus spiritum* h, non debeat comminui: illa vero quę adversus carnem, perseverantibus profectibus augeri, donec *corruptibile hoc induatur incorruptionem* i, & verbum Dei, quo vita ęterna promittitur, impleatur. Tūc adhærebit caro animæ, anima Deo, fietq; caro spiritualis, anima quodammodo deificata: lex perfectissimè observabitur, immo *quę sunt legis absq; lege* implebuntur k. Optimum Petri consilium, quum abirent alii discipuli l, *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*. Vivificat hoc Verbum æternum, ac *adhærentem pavimento animā nostram* sustollit. Sectatur hunc quoq; mysticum sensum ultimum Ambrosius, post Hilarium, de querimonia ob animæ, & corporis societatem: quoniam Paulus m quidem *corpus humilitatis nostræ* vocat: David n *humiliatam in pulvere animam, & se in pulverem mortis deductum* o: hic vero *adhæsisse* etiam *animam suam post Deum* dixit; p ille *adhærentem ipsi, unum spiritum effici* cum eo: q Moyses *adhærendum Deo.* r Addit Ambrosius Adamum adhęsisse pavimento, pulveri terræ, terrenis curis, post peccatum *abscondisse se à Deo*, s ac tamquam foveas, ac latibula recepisse, nec levare se potuisse, nisi eum supra crucē suam Christus levasset. Adjicerem ego etiam curvatam, quam idem Christum erexit mulierem t. Græci explicant de magna humiliatione, & modesta abjectione, quam etiam Hilarius concedit posse hic intelligi, assiduitatem orationis, tamquam ex peccatorum confessione in terram Propheta prostratus adhæserit pavimento. Isidorus, quem citat Agellius fortasse Pelusiota, exponit tùm de agglutinata corpori anima in prima creatione; tùm de eadem se corpori per cupiditatis quasi glutinum admiscente; tùm de pœnitentis ac humiliantis se, abjectione.

a Deut. 8. 3. b Matt. 4. 4 c 2. Tim. 4. 8 d Esa. 46. 11. e cap. 62. 4. f ps. 72. 28. g 1. Cor. 6. 17 h Gal. 5. 17. Sap. 9. 15. i 1. Cor. 15. 53

Sensus mysticus.

k Rom. 2. 14 l Joan 6. 68. m Phil. 3. 21. n Ps. 43. 25. o ps. 21. 16. p Ps. 62. 9. q 1. Cor. 6. 17 r Deut. 10. 20 c. 11. 22. c. 13. 4. s Gen. 3. 9. t Luc. 13. 13.

Daleth.) *Ostium & portam* significat, juxta communiorem opinionem. Hieron. u, volens *tabulam* significare, explanat præcedentes tres litteras cum ista efficere sensum, & connexionem hanc, quia significant *doctrinā, domum, plenitudinem*, & præsens *tabulam*; quod doctrina Ecclesiæ, quæ domus Dei est, in librorum reperiatur plenitudine divinorum. *Timorem*, aut *nativitatem* significare Ambrosius refert. Non potui reperire cur hæc, vel *tabulam* significet litteræ, quæ nominatur *daleth*, quamvis Hebraicè doctus Lindanus recipere videatur notionem *timoris*. *Porta* est דֶּלֶת *deleth*, Græcè autem δέλτος *pugillares*, ac *tabellę* dicuntur forma litteræ Δ applicatæ, quivis etiam liber quacumque forma, item tabella: unde δωδεκάδελτος νόμος *duodecim tabularum leges* apud Romanos. Non recederet peritus Hebræi sermonis, litteræ Hebrææ ex linguæ Græcæ vocabulo etymologiam: ut suspicer Hieron. non ex suamet, sed ex aliorum sententia, significationem tradidisse litterarum alphabeti Hebræi. Ostium & porta in beatitudinem tribulatio est, de qua Octonarius hic agit, ut observat Vincētius Ciconia. Idē dici licet de paupertate, quā Zamorensi, & Isaaco significat.

Notio daleth.

u in proœm. ad Eusch. in Lamentat. & epist. 155.

Adhæsit pavimento anima mea.) Hieron., *pulveri*. Istum significat עָפָר *hhaphar*, qui in pavimento est, misero autem etiam loco pavimenti est bene strati. Sumitur *anima* pro vita, sive pro homine secundùm eam partem qua communem brutis, & plantis vivit eam: & significatur ad litteram, veluti prostrata, desperataq; vita homo jam jam moriturus, in pulverem resolvendus, intra sepulchrum condendus, terræ mandandus: vel ita dejectus, & oppressus humi pondere calamitatum, ut erigere sese, & attollere non valeat, quiq; tantum non jam perierit. Similis indicatus antea ex alio Psalmo x locus. *Humiliata est in pulvere anima nostra, adhæsit in terra venter noster*: præterea y *Humiliavit in terra vitam meam, collocavit me in obscuris sicut mortuos sęculi, &c.* Mysticum est, quod ait Ambrosius, nomine *carnis* dici malos, quemadmodū qui diluvio perierunt, z nomine *animæ* bonos, ut qui cum Jacob ingressi sunt Ægyptum a. Est præterea *pavimēti* pro nostro corpore mystica notio, ut tradit Cassiodorus, quia solidum est, & quodam lævigatum nitore: figurata, quam August. pro terra, ita ut cælum sit tamquā camera mundi: item quam Camerarius pro lege factorum, quam & crustam vocat, & qua fracta timere se dicit David, ne subeat in infernum adhuc, quam Hugo pro carne, quę instar pavimenti, quod sternitur lapidibus conculcari, & conteri disciplinis debet: rursus ex eodem, pro divitiis, & honoribus, quod, ut pavimentum facile citoq; transcurrantur, & conculcentur; pleni sunt impii veluti pulvere, fractum non ferunt, propter duritiam. Adhęret lutum pavimento: aut res alia mollior, pila subsilit. Sic quidem peccando hęrent, alii pęnitendo resiliunt. Proxime accedit ad litteralem sensum & ex alis traditis ille Græcorum, ac Hilarii, etiā de prostrato humi ad orationem. Quo ritu Christum ipsum orasse constat, *cadendo in faciem suam* b, & sedere in pulvere symbolum pęnitentis, & calamitatis esse aut subjectionis, & servitutis aliàs docui. Arnobius item explicat jacere in pavimento deprecando, & exorando. Ad cęteros mysticos sensus adjici potest, quem assignat in commentario manuscripto noster Turrianus (cui placet etiam ut *daleth timorem* designet] delapsu in peccatum, quod vocatur ἀπόπτωσις, & παράπτωμα quia veluti mortuum humi sternit. Sicut siccato stagno pisces luto adhærentes natare nequeunt, & periclitantur; sic animam gratiæ fluentis destitutam, ac *sicut terram sine aqua* c, mori necesse est. Hieron. d *curvationem genuum* e, & *flexionē* f de subjectione mentis, & inclinatione animæ, cordisq; obsequio interpretans, terrę se coæquantis præsentis loci comprobat exemplo. Res enim spiritualis, inquit, & incorporea anima rei corporalis pavimento quomodo potuit adhęrere? Esto quippe *in nomine Jesu flectāt genu terrestria*, numquid & Angelos, ceterasque virtutes, quæ in cœlestibus perseverant, possumus affirmare speciem habere corpoream? &c. Confirmat pręterea, quia *genua ante Baal* g *curvare* idem videtur esse, ac peccato, ut libidini, iræ, avaritię, gulæ. Ait nihilominus admittere se consuetudinem orandi, adorandiq; suppliciter genu posito & fixo in terram poplite; ut magis quod à Deo poscimus, impetremus, sicut faciebat Paulus h. De quo ritu plura alibi. Facit non parum ad sententiam hanc totam Basilii homilia quod non sit adhærendum rebus sęcularibus. Observat Gręveus i quatuor quę firmiter hęrent, sanguisugam, lappam, naufragum, porcellum piscem, luxuriam cum gula, cupiditatem habendi, seu avaritiam, peccatoris sine pęnitentia statum, pravam ut in peccato consuetudinem. Bernardus k adhæsionem istam deplorandam refert ad affectionem hominis, pronam semper & proclivē in terram: hac de caussa videri cor in sinistro latere positum. Narrat Bonaventura quum Nicasius recitando Ps. istum, ad hæc verba pervenisset, caput ei abscissū esse, idq; jam abscissum sequentia protulisse, *vivifica me secundū verbū tuum*. Rhemensis Ep sc. erat, & ut Vincen. l Bellovacensis scribit, verbū sanctitatis ab ore decollati non destitit, sed immortalitatis sētentiā, quā petiit, adimplēdo impetravit.

x ps. 43. 25. y ps. 142. 3. z Gen 6. tot. Pavimenti notiones mysticæ & figuratæ. a Exod. 1. 5.

In pulverē sedere pœnitentia symbolum. b Matt. 26. 39.

c ps. 142. 6. d in ep ad Ephes. 3. e Eph. 3. 14. f Phil. 2. 10.

g 3. Reg. 19. 18.

h Act. 20. 36 cap. 21. 5. i serm 255.

k serm. 7. in ps. 50

Nicasii apud abscissū verba hęc protulit vivifica me secundùm verbum tuum

l 21. spec. hist c. 37.

Vivifica me secundùm verbum tuum.) Colligitur ex dictis accipi *verbū* pro lege, ac doctrina divina, vel pro divino promisso, & magis mysticè pro Verbo incarnato. *Verba, quæ loquebatur Christus, spiritus & vita erant* m & *æternæ vitæ habebat verba*. Vivificatio quoq; postulata innuit mortē vel periculum corporalis mortis mystico autem sensu, non mortem animę, aut periculum ejusdem. Eadem vis vivificandi tribuitur infra n, verbo fixe eloquio divino. Ubi Ambrosius, o docet, sicut augetur sermo Dei in anima nostra, dum suscipitur, dum intelligitur dum comprehenditur: ita etiam vitā ejus augeri: & quēadmodum, è contrario, eloquium Dei deficit in anima nostra, ita ut incurrere ejus vitam defectum; & ut connexio ista animæ corporisq; nostri spiritu vitali animat, atq; alitur, & tenetur, ita verbo Dei, & spiritali gratia animam nostram vivificari: propterea omni genere nos studere debere, ut reliqua omnia post habentes congregemus nobis alloquia Dei, & congeramus in principalē nostram (idest, in rationalem partem, quam Græci vocant τὸ ἡγεμονικόν) in sensus, in sollicitudines, considerationes, actusq; nostros, ut allo.

m Joan. 6. 64. ib. v. 69

n vers. 50 o Oct. 7. v

alloquiis divinarum Scripturarum facta nostra cōveniāt, nec à serie præceptorum cęlestium actus nostri discordare videantur quo possimus & nos dicere, quoniam verbum tuum vivificavit nos.) Hæc ibi omnia verbatim Ambrosius.

Vers. 26.) Vias meas enunciavi, & exaudisti me, doce me justificationes tuas.

Vers. 27.) Viam justificationum tuarum instrue me, & exercebor in mirabilibus tuis.

Sensus loci.

VIvificationem secundùm verbum Dei consistere dicit in hoc, ut doceatur justificationes illius: quod petit; & ut impetret, ait se aliàs expertum ipsius liberalitatem quia quum exposuisset ei simpliciter vias suas, idest, cogitationes, consilia, voluntates, necessitates, difficultates, miserias, peccata, omnem viæ, ac vitæ suæ statum, Deus illum exaudivit, & desiderio satisfecit subveniendo, & parcendo juxta illud a. *Revela Domino viam tuam, & ipse faciet.* Rogat iterum, iterumq; rectè instrui, dirigi, juvari in percipienda, & ineunda persequendaque B semper, & in omnibus via mādatorum divinorum: ne sit in posterum obnoxius gravioribus periculis, multo aut minus peccatis: promittens vicissim, se quam possit maximè cum ejusdem gratia, vacaturum eorumdem præceptorum intelligentiæ, quia plena sunt abditis, mirabilibusq; mysteriis: ardua sunt & adeo sublimis perfectionis, ut multi diffidant ea se intelligere ac implere posse; de illis & sedulo cogitaturum, & apud alios, ut etiam ipsi discant & opere impleant, libenter locuturum. Sic namq; ut Origenem refert Agellius, declarare hunc locum, non antequam acceperit prudentiam mysteriorum latentem in Dei justificationibus; & iter per illam fecerit, de illorum cōfidebat mirabilibus sermones habere, atq; disserere. Ad hunc modum fere August. cum suis exposuit, Hilarius quoq; Ambrosius, is quem vocāt Hieron., nempe de confessione peccatorum, post quam sit exauditus, & de volūtate perfectius cognoscendi, ac implēdi pręcepta divina. Græci quoq; concordant: & Chrysost. citat ex alio Psalmo b. *Dixi: confitebor adversum me injustitiam meam*; & ex Esaia c, *Dic tu prior peccata tua, ut justificeris.* Addit C pręterea id faciendum præsertim, ut magistro cuipiam peccata exponamus, ab eoq; quidnam ob illa nobis faciēdum sit, addiscamus. Adjice, ut absolutionem consequamur & impositam satisfactionem recipiamus, quā possumus intelligere per *justificationes*, quemadmodum contritionem per priora verba, *adhæsit pavimento anima mea:* idest, cecidi gravi, ac fędo culpæ casu. Tandem exercitationem in mirabilibus interpretatur meditationem divinorum beneficiorum, & ut qui virtuti dat operam pręsertim religiosus, consideret sibi cavendum à laudis cupiditate, atq; ut ex honesti amore illam consectetur, non ad vitandam infamiam, aliudve incommodum. Eadem perstringuntur apud Teodoretum, cumque qui Basilii nomine circumfertur. Arnobius legens, *vias tuas*, interpretatur significare Davidem se, ut exaudiretur à Deo, vias illius alios docuisse. Artem exaudiendi ait, didicisti Christiane, si exaudiri vis, vias Dei nuncia; doce castitatem, humilitatem, contemtum mundi, & quidquid petieris, exaudieris. Operit multitudinem propriorum peccatorum *qui converti fecerit fratrem suum ab errore viæ suæ,* D *salvans animam ejus à morte* d.

a ps. 36. 5. — c ps. 31. 9. — b cap. 43. 5. secundum Lxx. vers. 26 — d Jac. 5. 20.

Vias meas enunciavi.) Hieron. *exposui* ספרתי *sipparthi, sive narravi, recensui, distinctè enumeravi.* Quod requiritur in peccatorū confessione, de qua adeo multi exponunt & videntur intelligere de sacramentali, præsertim Chrysost. nominans hominem, cui fiat confessio, sed applicat ad legem Evangelicam: quod sub Sacramenti forma non erat in lege veteri, videlicet præceptum de confessione. Hilarius & Ambrosius legunt, *pronunciavi:* August. refert in aliquibus codicibus legi, *vias tuas.* Eam lectionem sequitur Arnobius ut liquet ex ejus expositione quā recitavi. Sed lectio nostra communior est, utpote omnium codicum Hebręorum, & Grecorum, nec ex Latinis ullum vidi, qui aliter haberet. Rectè autem viæ nostræ dicuntur peccata, quia has fere tantum vias ingredi per nos possumus, quæ ducunt ad interitum: Dei viæ perducentes ad ipsum, sunt virtutes, earumque opera, quibus perficiendis necessaria est gratia ejusdem *Vię Domini rectæ, nostræ, nostræ pravæ* e: *qui autem abscondit scelera sua* (quæ sunt viæ ipsius) *non dirigetur.* f Similis in ps. 36. g sententia: *Revela Domino viam tuam,*

Viæ nostræ peccata. — e Ezech. 18. — f Prov. 28. 13 — g vers. 3.

A quam Ambrosius ibidem de confessione quoq; declarat, & de aperienda conscientia, ne eam sæculi istius gravet umbra vel carnis. Vocat confessionem pœnarum compendium, & pęnitentiæ portionem h. Hoc autem loco dicit, quod vocem parati accusatoris (diaboli) qui solet acervare peccata, & uniuscujusq; exagerare flagitia, obstruit, qui ipse de se fuerit ante confessus, & præstruit veniam confitentis, quia justus in exordio sermonis *accusator est sui* i. Etiam Seneca k tradit sicut somnia narrare vigilantis est, ita vitia sua confiteri sanitatis indiciū est.

h de Cain. & Abel cap. — i Prov. 18. 17 — k epist. 54.

Et exaudisti me.) Posset quoq; verti, *respondisti mihi,* quod reddit Paraphrastes, *accepisti orationem meam. Peccata nostra respondent nobis* l priusquam de his conteramur, aut confiteamur, idest merentur puniri: testificantur contra nos dignos nos esse supplicio: accusant nos coram Deo: resistunt nobis (Exponunt Lxx. apud Jeremiā m ἀντέστησαν quemadmodum Chaldæus testificatur, contra nos, quod Hebraicè est עָנוּ *hhanu* eodem verbo præsentis loci) postulantibus misericordiam non eo, quod debemus modo. Hac eadem phrasi dixit Esa: n quod *agni-* B *tio vultus eorum respondebit eis*, idest, vultus ipse simul atq; cernitur, accusat eos: item o. *Multiplicatæ sunt iniquitates nostræ coram te, & peccata nostra responderunt nobis*, idest, contra nos. Peculiariter nonnulla peccata clamare dicuntur ad Deum, atq; *clamoris* nomine appellantur, ut non semel animadversum. E contrario dicebat Jacob p, *Respondebitque mihi cras justitia mea*, hoc est caussæ meæ justitia, bonitasque. Tale quid canit Poeta q.

Illa seges demum votis respondet avari
Agricolæ

l Jer. 14. 7. — m ibid. — n cap. 3. 9. — o cap. 59. 12. — p Gen. 30. 33 — q Georg. 1

Valde diversa responsa dat Deus justis vel pęnitentibus, & peccatoribus in suis peccatis jacentibus, quā licet resonantem nominare vocem, quæ dicitur *Echo*. Davidi peccavisse se fasso responsum est *Dominus transtulit à te peccatum tuum* r Magdalenæ sua deflenti peccata *remittuntur tibi, vade in scandalum vade in pace* s. At verò *ponenti immunditias suas in corde suo, & scandalum iniquitatis suæ statuenti contra faciem suam, responsurum seminatur in multitudine immunditiarum suarum atq; seipsum* t, idest, juxta immunditias eorum & prout illę merentur, non C per alium, sed per seipsum, qui sum spretus ab eis, non per os meum sed per manum punientem, non verbo aut sermone, sed reipsa, facto flagello.

Justis & peccatoribus in suis peccatis manentibus diversa dat responsa Deus. — r 2. Reg 12. 13. — s Luc. 7. 50. — t Ezech. 14. 7.

Doce me justificationes tuas.) Hieron. *justitiam tuam,* apud Trevetum, *præcepta tua* חֻקֶּיךָ *chukkecha* pluralis numeri. Docere vult ita, ut persuasus efficiat quod docetur. Ignorare dicitur quid quis in scriptura, quod non facit, & *scientia Sanctorum prudentia* vocatur u.

u Prov. 9. 10.

Viam justificationum tuarum instrue me.) Hieron *viam præceptorū tuorum fac me intelligere.* Videtur Arnobius legisse, *viam justificationum tuarum fac, ut intelligam.* In Romano, vetereq; Psalterio, & apud August. Prosperum, Cassiodor. habetur, *insinua mihi* Significant הבינני *hafineni*, & συνέτισόν με *fac me intelligere*, & quidem secundùm prudentiam cujus pars σύνεσις. Ut sensus petitionis sit, vel le intelligere quo modo ambulare in via mandatorum Dei oporteat: quę sit genuina eorumdem sententia, quæ ratio illa observandi, quæ hoc loco פקודים *pekudim* vocantur, sicut versu 4. & 15. Græcè δικαιώματα, Quod moneo, ut intelligas exactum horum vocabulo- D rum discrimen minime semper servari. August. observat expressius de Græco dici, *fac me intelligere*: quam, *insinua mihi*, vel *instrua me*. Apollinar. ἐμῷ παρακάτθεο θυμῷ *meo committe animo.* Alii declarant per γνώριζον *notam fac.* Affinis postulatio in alio ps. x, *vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me, in veritate tua, & doce me.*

x ps. 24. 4.

Et exercebor in mirabilibus tuis.) Hieron *& loquar.* ואשיחה *veasichab* καὶ ἀδολεσχήσω, de quibus verbis dictum satis antea. Arnobius *exercere* interpretatur argutari, velleq; dicere Davidem, argutus ero non piger, argutus videlicet subtiliter loquendo. Mirabilia sunt illa, de quibus versu 18. considerabo mirabilia de lege tua, opera item insigniora, quæq; appellantur heroica, quæ quidam sancti viri exercuerunt. *Exercere se ad pietatem debet* y, qui ad horum pervenire mirabilium operum exercitium cupit, & experiri *mirificantem Deum erga se misericordias suas.* z Exercere se ipsum aut exerceri à se ipso, est sponte, desiderio, voto, voluntate, scientia sua, & propria: nullius coactione id facere, ut Salvianus docet a. Græci severioris disciplinæ sectatores cognominabant ἀσκητὰς *exercitatores*, quamquam aliud valet ἀδολεσχῶ, ut dictum est.

y 1 Tim 4. 7 — z ps. 16. 17 — a l. 1. de providen.

Vers 28.

Vers. 28.) Dormitavit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis.

Sensus loci.

UT exerceri possit in mirabilibus Dei, ac legis ejus, quod se optare significavit, & optando tacite petiit, postulat nunc excuti tædium, quod obrepere solet exercenti se, propter molestiam, laboremque ipsiusmet meditationis, quæ quum *frequens est, carnis afflictio est:* a proterque continuam compugnantiam carnis & spiritus, b ac perpetuam in vita tota militiam, tentationemve. c Ratio autem tædium excutiendi, est confirmari, atque firmiter hærere in divinorum preceptorum sana intelligentia, & studio illa observandi, animo sibi proponere quæ promisit Deus præmia legitimè certanti, quæ supplicia comminatus turpiter cedenti, & ex pugna resilienti; pensare quo pacto divinæ litteræ certiores nos faciant, & præmoneant de periculis tentationum, ac persecutionum, *non permittere Deū nos tentari supra id quod possumus; sed facere solere cum tentatione proventum felicemq; exitum, ut possimus sustinere* d, recordari quot exempla utriusq; generis contineant sacrę Scripturę, vel ecclesiasticarum hi- B storiarum tùm vigilantiæ, tùm oscitantię circa divinę legis custodiam, & neglectum. Hic baculus & fulcrum, quo sustentatur imbecillitas, infirmitasq; nostra & *propter verba labiorum Dei vias duras custodire* e difficile non est. Vellicant hæc dormientem, torpentem æxcitant, urgent, ac extimulant languentem, tepidum accendunt jacentē erigunt, fulciunt atq; constabiliunt nutantem, & vacillātem, labantem, lapsantem confirmant lentum, & remissū incitant, desperabundum animant, recreant mœrentem. Varia hujus loci lectio sensus alios gignit, ut videbimus.

a Eccl. 12. 12 — b Gal 5. 17. — c Job. 7. 1. — d 1. Cor. 10. 13. — e ps. 16. 4.

Dormitavit anima mea præ tedio.) Hieron. *distillavit anima mea præ stultitia*, apud Trevetum *præ tristitia*, & tria exemplaria manu scripta apud Brugensem. Exponit autem Trevetus distillationem fletus, ac lacrymarum ex tristitia, propter peccatum adulterii, homicidiiq; quod commiserat David f. Alii, *diffluit anima mea præ tristitia: solvitur mihi animabus præ anxietate; stillatim perit vita mea: liquefit, solviturque in lacrymas anima mea, animæ meæ vires paulatim diffluunt, sicut aqua aut quælibet aliæ res colliquefactæ vel distillatæ; agonizat anima* C *mea.* Quę in preterito tempore verti cuncta possunt. Ambrosius legens *stillavit*, testatur aliquos codices habere, *dormitavit*, quia inquit ἐνύσταξε & ἔσταξε duabus litteris *dissolvunt*, melius *dissonant*. potuitq; interpretem, vel antiquarium hic falli, νυστάζειν esse *dormire* στάζειν *stillare.* Origenem, qui multorum interpretationes diligenti discussit indagine, *stillavit*, secutum esse. Quamquam tradat quoq; sensum juxta vulgatam translationem, pro qua legisse Arnobium, *stillavit*, ut asserit Agellius, verum non est. Hilarius ait comperisse se multos de hoc versu varia sensisse, eo quod non eadem proprietate à ceteris trāslatoribus ex Hebręo demutatus esse, ut ab his LXX. interpretātibus conscriptus est: nonnullos τὸ ἐνύσταξεν vertisse, *distillavit*, sed nobis neque tutum esse translationem LXX. Interpretum transgredi, & sanam rationem esse, & sensum dictorum ita admonere, ut rectè, ac probabiliter versum translatum intelligamus *dormitavit*, &c. Quare non debuit collector notationum in Biblia Græca Sixtina scribere Hilarium tribuere aliis Interpretibus ex Hebræo quod verterint *distillavit*, sed quod Græcum ἐνύσταξεν reddiderint illo modo. Probabile ducit Brugensis, & Bellarminus transtulisse LXX. ἔσταξεν, quod est *distillavit*, postea errore librariorum factum esse ἐνύσταξεν; quod est, *dormitavit.* Malim absq; erroris suspicione affirmare, vel, quod non raro idem Bellarm. in defensionem LXX & nostræ translationis affert, דלפה *dalepbah* significasse etiam *dormitavit* tempore quo vivebant LXX. vel hos ad sensum respexisse ut distillationem, sive dissolutionem interpretarentur per affectū suum, hoc est, per somnum, qui, fatiscente corpore, fractisq; labore viribus, solet advenire cum torpore, & quæ hìc appellatur ἀκηδία, jamq; latinitate donato vocabulo *acedia*. Sic quidem legerunt, & interpretati sunt Chrysost., Theodoretus, Basilius, aliusve Chrysost; Basilio posterioris, transcriptor. Euthymius etiam, atq; Nicephorus, & qui citatur ab Agellio Athanasius: cujus Agellii suspicionem non admitto reddidisse LXX. ἐνύσταξεν. Postremo alii duo explicant per χαυνοῦσθαι *laxari resolui, remitti.* Appollin. autem per ἀμύειν quod est *inclinari, ruere, decidere, incumbere,* quāvis placeat aliis magis, ut sit μύειν. Id convenit oppressis somno, ac dormiturientibus, quorum nictatio non

f 2. Reg. 11. toto. — Acedia notio.

A bsimilis est stillationi, & quorum etiam, ut dixi,

— g *sopor fessorum complectitur artus*

Vel *irrigat* h, & *cervicem inflexā ponunt* i, & *solvuntur in somnos* k, & *succumbunt eorum oculi* l, & *laxant membra quiete* m.

n *Et fessa cervix capite submisso labat,*
o *Et cadit à mento languida facta manus.*

Omissa expositione de distillatione lacrymarum, de qua est illud Job. p *Ad Deum distillat oculus meus:* communior est de corporis virium laxitate, & imbecillitate, deque animi remissione, negligentia, incuria, acedia, quæ hìc Græcè dicitur ἀκηδία quam textus Hebræus vocat תוגה *thugah, dolorem, afflictionem*, quæ scilicet dejicit acediosum, pigrum, laboris, impatientem. Ut mirer ex translatione Hieron., legi quod recitavi, *pręstultitia*. Perfectus non dormitat, inquit Ambrosius, qui divinis animum intendit mysteriis, vigilat semper non *dat somnum oculis, nec palpebris dormitationem* q: & si caro *dormit, cor vigilat* r: verbum enim Dei repulsorium tædiorum est, quo somnus animæ, sopor mentis excluditur: ex tri- B stitia, & sollicitudine sæcularium somnus irrepit. Non etiam si legas *stillavit*, eadem tamen sententia, cum illa, quam facit, *dormitavit*. Perfecti anima, ut idem notat Ambrosius, stillat, utpote bene composita, & confirmata, (ut fastigia culminum, quæ bene tecta, atq; munita sunt) & individua virtute compage solidata, non *plena rimarum hac, atq; illac effluens* s non evacuans interiora sua, nec exterioribus passionibus inundata, conservans exemplo Mariæ *omnia Dei verbo in corde* t ne quod ex ore defluat, habens acclinationem opacam, *trabem cedri, lucanar*, seu *laquear cupressi* u, quoniam *stillicidia eiiciunt hominem in die hyemali de domo sua* x: *in pigritis humiliatur contignatio & in infirmitate manuum perstillat domus* y. Hilarius observat circa *dormitandi* verbum, quod sit minus quam *dormire*, ita ut ne dormiat, roget Propheta confirmari in verbis Dei atque ut sine aliqua etiam dormitatione pervigilet. Cassiodorus ait *dormire* esse obliviosi, atque socordis; *dormitare* fessi, & expectantis. Non est id perpetuum discrimen: sed dormitare, ac dormire non differunt aliquando z. Quantus sopor tuum corpus C invasit, inquit Arnobius, qui & animam dormitare compellit? *Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta esuriet* a. *Usque quo piger dormies, quando consurges à somno tuo:* b Mirificè congruit proposito quod scribit Bernardus c. Sunt qui in studiis spiritualibus fatigati, & versi in temporem, atq; in defectu quodam spiritus positi, ambulant tristes, vias Domini, corde arente, & tædente accedūt ad quęq; injuncta, frequenter murmurant, longos dies, longas conqueruntur, & noctes loquentes cum S. Job d, *Si dormiero, dicam, quando consurgam, & rursus expectabo vesperam.* Ergo ubi contigit tale aliquid pati, si in sertus Dominus appropiet nobis in via, qua ambulamus, & incipiat loqui de cęlo, qui de cęlo est, nec non favorabile quippiam cantare nobis de canticis Sion, narrare etiam de civitate Dei, de pace civitatis, de æternitate pacis, de statu æternitatis, dico vobis, erit pro vehiculo animæ dormitanti, & pigritanti læta narratio: ita ut pellat omne fastidium ab animo audientis, & à corpore fatigationem. An tibi aliud vel pati, vel petere ille videtur, qui ait, *Dormitavit anima mea præ tędio, confirma me in verbis tuis?* Et nonne, quum obtinuerit, clamavit, D *Quomodo dilexi legem tuam, Domine? tota die meditatio mea est.* Sunt omnia ista Bernardi, qui præterea, vel alius in tractatu de Passione Domini e, docet, hoc vitio acediæ, de quo præsentem sumit locum, & alium illum f. *Omnem escam abominata est anima eorum*, Religiosos homines maxime affligi, ut bona opera faciant, vel coactione, vel necessitate, vel consuetudine, & absque ulla alacritate, torpor incutiatur animo eorum: omnia exercitia spiritualia quasi insipida videantur, & in grave tædium convertantur: omne spirituale exercitium abominentur, ut nec orare, nec legere, nec meditari, nec aliud bonum opus libeat exercere. Aliis in locis disserit eadem de re Bernardus g, Cassianus ⁓ ægritudinis acedię universa incommoda uno isto versiculo Davidem elegāter expressisse dicit, proprieq; satis non corpus dixisse, sed animam dormitavisse. Vere enim ab omni contemplatione virtutum, & intuitu spiritualiū sensuum dormitare animā, quę perturbationis hujus telo fuerit sauciata. Quę Grecè hìc vocatur ἀκηδία, & Latino facto nomine, ut ante dixi idem Cassianus g interpretatur *tędium*, & *anxietatē cordis. Incuriā* prope vocari posse dixi, quasi ἄνευ τοῦ κήδους,

g Virg. Æn. 2 — h 3. Æn. — i ibid. — k 4. Æn. — l Ov. 1 Met. — m Virg. 5. Æn. — n Sen. in Herfur. — o Ov. 3. fast. — p cap. 16. 21 — q ps. 131. 4. — r Cant. 5. 2. — s Plaut. — t Luc. 2. 19. 51 — u Cant. 1. 17 — x Pr. 27. 15. — y Ecclesiast. 10. 18 — Inter dormire, & dormitare discrimen — z ps. 120. 4. Esa. 5. 27. Matt. 25. 4. — a Pr. 19. 15. — b cap. 6. 9. — c serm. 33. Cant. — d cap. 7. 4. — e ser. 2. & 6. de Ascen. & ser. 22. in Cant. & 63 — f 10. Instit. c. 4. — g 10. Inst. c. 1.

quod

quod Hispani dicunt *descuido*. Ut inepti sunt, qui *acediã* velut *acidam* dici volunt *a*, quòd opera spiritualia nobis acida reddat, & insipida: vel *accidiam* corrupte pronunciantes, derivant ab incidente. Maximus, Monachus *b* acedia scribit omnes animæ vires invadi, omnes fere unanimiter affectus commoveri, omnium affectuum esse gravissimam ita ut adversus hanc pharmacum nobis Christus probe præstiterit, *In patientia vestra possidebitis animas vestras*. *c* Negat August. istam tentationem levem esse, aitque debere quemlibet agnoscere se in illa & exclamare ad Dominum, ut de necessitatibus suis, etiam hic liberet. Porro lectu dignum quod ipsemet de suo scribit *d* somno, quum similes essent cogitationes ejus conatibus expergisci volentium; qui tamen superati soporis altitudine remerguntur: nec nisi lenta & somnolenta respondent verba. Antonius *e* hunc nostrum tractat locum de acedia, comparans cum somno, somnique intempestivi damnis, dictant tamen etymologiam *acidiæ* (sic mendose etiam legens) sequutus.

a Cæsar. l. 4. c. 27.
b cent. 1. de charit. c. 67.
c Luc. 21. 19.
d 8. conf. c. 5
e 2. p. tit. 9. cap. 2.

Confirma me in verbis tuis:) Hieron., *serva me juxta eloquium tuum*. Propius accedit translatio nostra ad Hebræum קימני *kaiiemeni*. Sed salus dormitantis animæ consistit in eo, ut confirmetur. Latinus Interpres Paraphrastis Chaldæi vertens, *vivifica me*, videtur legisse חיים *chaiiem*, & non ut nunc extat, קים *Kaiiem*. *Sunt verbum sapientum quasi stimuli, & quasi clavi in altum defixi* contra tarditatem & pigritiam *f*, & per *consolationem scripturarum spem concipimus* g, Cavendum ne *acediemur in vinculis sapientiæ* h, & in verbis Domini, quibus alligamur, & adstringimur ad segniter operandum. Achilles Abbas interroganti, cur sedens in cella acediã pateretur, respondit, quia nondum vidisset requiẽ, quam speramus, nec tormentum, quod timemus: si ea diligenter inspiceret etiamsi vermibus plena esset cella illius usq; ad collum, in ea tamen permansurum, sine acedia *i*. *Sermo Dei clypeus est*, k quo armatus *tela nequissimi ignea* non pertimescit, sed *extinguit* l.

f Eccl. 12. 11.
g Rom. 15. 4.
h Eccl. 6. 26.
i Vita Patr. d. 2. §. 103.
k Prov. 30. 5
l Eph. 6. 16.

Vers. 29.) Viam iniquitatis amove à me, & de lege tua miserere mei.

Sensus loci.

Confirmationem, quam petit in Dei verbis, magis declarat, ut concedatur longius recedere à via iniquitatis, & à lege peccati, quam dormitando incipiebat ingredi; simul vero tribuatur incedere, ac procedere in Dei lege. Ceterum *viã iniquitatis* intelligit omnem quidem, quæ legi Dei contraria sit, & justitiæ generali, quæ omnem virtutem comprehendit; sed peculiariter innuit juxta phrasim Hebræam, qua *via iniquitatis* hoc loco dicitur *via mendacii*, cupere se fidem datam servare, nec per prævaricationem ab ea resilire, illam fallere, & violare. Quo autem id consequatur, hanc unam percupit obtinere misericordiam gratiamque, ut legem Dei quam se servaturum spopondit, bene intellectu percipiat, & perfecte opere ipso exequatur. Ponderant autem Origenes, & Didymus, quos profert Agellius, & ex Latinis Hilarius. Ambrosius, non postulare Davidem, ut se amoveat à lege iniquitatis, sed ut hanc à se; quoniam lex hæc jam inerat, nempe lex peccati, & fomitis seu carnis, atq; membrorum ex originali relicta peccato: & ut expelli posset, opus erat dum ipsiusmet opera, tùm vero multo magis Dei auxilio, & gratia, quam lex ipsius continet, offertq; idest, divinum Dei promissum, & lex præsertim Evangelica. Utuntur exemplis ægri, aut discipuli, quorum ille medicinæ ratione ad salutem revocari, hic ignorantiam doctrina magistri desiderat expelli, & ab eo petit, etiamsi remedio ad utrumvis molesto sit opus, quum omnino velut secundùm legem quam uterque sequitur, & necessaria judicent præcepta, vel sanari, vel discere.

Viam iniquitatis amove à me) Hieron., *viam mendacii aufer à me*. Est enim שקר *secker*, *mendacium*, & *via iniquitatis*, ac *mendacii* dicitur, quæ iniqua, & falsa est, fallaxque, & in qua ambulare deviare est, atq; per devia ire, & ad perditionem pervenire. Inclinat fomes, quem per *viam iniquitatis* intelligunt, ad apparentia, falsaque bona: *ad vanitatem, & mendacium* m, *ad fruges, & vestes mendacii* n, *ad somnia* o. *Via* præterea vocatur *iniquitatis* peccatum actuale: quia, ut Ambrosius cum Hilario docet, non est naturalis hæc iniquitatis in nobis, (sicut originale peccatum fuit, quamvis postea remissum, ac deletum) sed majorum post peccata currentium attrita vestigiis Arnobius *viam iniquitatis* ipsummet tentatorem interpretatur, qui videlicet iniquus est, ab abstractoq; nomine *iniquitatis* appellari potest, quemadmodum & pessimum quemque appellamus *scelus vitium &c.* & è contrario Deum justitiam, & similibus aliis modis. Alii exponunt de occasione tentationis, quæ via est ad iniquitatem, peccatumve, tamquam præambulum ejus, vel loquitur Dionys. Carthusianus, seu Rickelius Gratiæ porro necessitatem insinuat, & rei difficultatem flagitare, ut Deus ipse amoveat, auferatq; Quia hæreditarium iniquitatis glutinum mentibus inhæsit humanis, ait Ambros. opus est liberantis auxilio, & ut precando dicas, *Infelix ego homo, quis amovebit à me iniquitatis viam? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum*. Alludit ad similem Pauli sententiam *p*, in qua *corpus mortis* vocat pro *via iniquitatis*. Transferri etiam potest ad eos, qui deliberant de qualibet re, præsertim de vitæ via perpetuo ineunda.

m ps. 4. 3.
n Osee 10. 13.
o Esa. 9. 7.
p Rom. 7. 4

Et de lege tua miserere mei.) Heron. *& legem tuã dona mihi*, idest, inquit Trevetus, secundùm legem tuã remitte mihi. Non additur in textu Hieron. *gratiosè*, ut Avendanus dixit, sed hoc ipsum includitur in verbo *donandi*, ac multi magis in חנני *chonneni*, & in ἐλέησόν με. Alii, *lege tua dignare me, legẽ tuam gratificare mihi, eam mihi benigne proponito: fac pro tua misericordia, ut eam agnoscam, ut sit mihi grata, ut illam perficiam, ut per illam redeam in viam viæ, iniquitatis oppositã*. Quasi dicat, *apud te propitiatio est* q, & propter legem tuam promissæ propitiationis, atque misericordiæ ambulantibus in via justitiæ mandatorum legis tuæ factam miserere mei: Volo per legem tuam consequi misericordiam, & hanc peto, qua debeo, conditione, ut obediam legi tuæ, sciens te cum sapientia, justitiaq; misereri, ut ea dimittas quæ scis jure posse dimitti Quod nos imitari vult Ambrosius, ne quum alterius miseremur, nos ipsos legi faciamus obnoxios, quemadmodum contigit Sauli, qui parcendo Regi Agag r peccavit in sua misericordia. In Psalterio vetere, & apud Ambrosium, & Prosperum; absq; ulla præpositione, *& legẽ tua*: apud Hilarium, Arnobium Brunonem Carthusianum, Hugonem, *in lege tua*: apud August., *à lege tua* Nec Hebraicè, nec Græcè propositio est. Anonymus tamen citatus à Genebrardo supplet מין *min*. Poterat præpositio omitti, sed relicta non obest. *Misereri* etiam & חנן *chanan*, & ἐλεεῖν quandoque usurpantur pro eo quod est *benigne gratisq; quippiam concedere, & largiri*, Ad hunc modum quod Jacobus fratri respondit *s parvulis sunt quos donavit mihi Dominus servo tuo*. Hæbraicè dicitur verbo חנן Hanan, Græcè ἠλέησεν. Si quis hic misericordiam de lege, sive secundùm legem Dei, sumat pro lege misericordiæ & gratiæ, & spiritus, antithesim proponere potest ad legem veterem: sive factorum, istius infirmitatem demonstrando, & quod *subintraverit abundaret delictum* t, utpote *infirmata per carnem* u, & ostendens tantam iniquitatem, nec adjutricem gratiam conferens, quam significant, continent, conferunt, sacramenta legis novæ tamquam vasa oleo repleta Elisæi *x*: eo autem carebat synagoga vidua, sine sponso Christo, atq; etiam repudiata, & pauper, ob dictam olei gratiæ privationem: & habebat vasa commodata, idest sacramenta, ceremonias, legem ipsam totam ad tẽpus dumtaxat duraturam, donec veniret qui ex lecytho suimet corporis oleum sanguinis effunderet, quo satisfieret creditoribus nostris, & debitis. Sic hoc loco Avendanus, licèt aliter ex aliis Berchorius in mortalitatibus *y* & in allegoriis: atq; tropologiis Godefridus Titelmanus z. Vias vitæ duas in tabella pictas proponebat Lebes Thebanus, forsitan edoctus Pythagoræ symbolo idem significante in elemento Y. Orandus Deus cum Propheta nostro *a*. *Vide si via iniquitatis* (tristitiæ, doloris, afflictionis, quam parit iniquitas) *in me est, & deduc me in via æterna. Dedit Deus coram nobis viam vitæ, & viam mortis* b.

q ps. 129 3.
r 1. Reg 15. 9.
s Gen. 33 5.
t Rom. 5 20.
u cap. 8 3.
x 4. Reg 4. 5. 6.
y lib. 12. 10
z super lib. 4 Reg. 4.
a ps. 138. ult.
b Jerem. 21. 8

Vers. 30.) Viam veritatis elegi, judicia tua non sum oblitus.

Sensus loci.

Videtur sequentibus versibus profiteri postquam fassus est propriam miseriam, atq; infirmitatem, quid ex Dei misericordia: & gratia valeat. Quod ergo in se erat spectatq; secundùm se imbecillitate naturæ, ait hoc versu se non aliam sectatum viam, quam iniquitatis, & mendacii. Jam vero quum amoveri à se illã petierit, & ea in re confidat exauditum, plane decrevisse, ejusdẽ gratiæ fretum auxilio in ea perseverare: deinceps non mentiri, nec

nec fidem fallere; præstare quæ promiserit, pactum divinæ legis implere, non discedere à vera, recta; justa via: numquam oblivisci judiciorum, sive mandatorum divinorum, non solum ne excidant memoria, sed ne in eorũ observantia peccet: compertum sibi omnino nullam ista meliorem viam esse: obliturum se potius dexteræ suæ; ac sui ipsius quam rei tam excellentis, tam utilis, tam necessariæ, tam honestæ, tam jocundæ; oblivioni vero daturum, spreturum, relicturum, abominaturum viam fallam, & fallacẽ, in qua sola fucata bona sunt vera multa plurima, exitus eorum pernicies æterna. Euthymius vera dogmata, quæ ducunt ad Deum, & divina præcepta interpretatur: præterea Christum, qui *via; & veritas est a*, seu Evangelicam conversationem, quam ille statuit cum præceptis item Evangelicis. Consentit Hilarius de Christo, ut & dictus Hieronymus, Cassiodorus, aliique, & de judicio, quod ille dixit esse, ut qui *credunt in ipsum habeant vitam æternã*: *b* contrarias vias esse voluptatum, divitiarum, honorum, errorum, & hæresum. Idem habet Ambr., afferens exempla Ariani, Sabeliani, Manichæi, avari quoque ac immitis divitiis, *c* postremo cujus vis, qui diligat vanitatem, & hic velit ambulare non per fidem, sed per speciem, sæculo, adesse, non præsens Deo esse Veritas Christus, & verax & *in cujus ore non est inventũ mendaciũ, dolusve* d, *viam Dei in veritate docet e*, vera & recta judicia facit, loquiturque. *Ad hoc natus est, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhiberet veritati* f, *& lex veritatis fuit in ore ejus g*. Spectator Dei & Christi omnia judicia illius habet in conspectu suo, & justitias ejus non justi repellit à se, sicque *immaculatus est cum eo, & observat se ab iniquitate sua*; h *cogitationes ipsæ illius judicia sunt* i, ita ut nequeat oblivisci.

a Joan. 14. 6.
b Joan. 13. 14
c Luc. 12. 16. & seqq. c. 16 2. & seqq.
d 1. Pet. 2. 22
e Matt. 22. 16
f Joan. 18. 37
g Mala. 2. 6.
h psal. 17. 24
i Prov. 12. 5.

Viam veritatis elegi.) Hierony. *viam fidei elegi* אמונה *emunah*. Quod Trevetus declarat de fidelitate, ac veritate in colendo verum Deum. Deus ipse *veritas* vocatur hoc eodem Hebræo nomine quem Interpres Græcus πιστόν, Latinus *fidelem* nominat k, & Caldæus מהימנא *mehemena*, & ibidem subditur esse absque ulla iniquitate, quia neque fallax, neque iniquus, aut vanus est. De Christo jam dixi, quod ipse se vocaverit *veritatem* Hilarius legit hoc loco, *dilexi Eligere*, significat quod hic est בחר *bachar* nec non αἱρετίσασθαι, quod præterea valet *optabile judicare*. Qui autem aliquid hoc modo judicat, etiã elegit & diligit. Simul tamen latet in Græco antithesis quasi dicat, secundùm viam veritatis, hæreticus sum, vel adhæreo sectæ hæreticorum, nimirum ad insectandum; talem namque notionem τῷ αἱρετίζειν assignat Suidas. Acute Augustinus exponit quod *viam* quis *veritatis eligit*, ubi currat: *judicia Dei non obliviscitur*, ut currat: & quod sequentibus versibus continetur, *adhæret testimoniis ejus* quum currit: currit: vero *dilatanter cor Deo* per gratiam, & consolationem Arnobius, meum est, ait, *eligere viam veritatis*; tuum est concedere electionis hujus effectum. Idem fere docent Cassiodorus, Hugo, alii. Sed Cassiodorus occurrit objectioni, ne videatur indicari hic oppositum Christi sententiæ, *Non l vos me elegistis, sed ego elegi vos*, hoc dicere jam electum à Deo, qui simul eligat, quemadmodum alibi. *Elegi* m *abjectus esse in domo Dei*. Legimus *eligentem Deũ n*, & eumdem *electum o*, seu quod ille populum, & quod illum populus elegerit. Hæretici denominantur sic Græcè, quod ipsi non electi eligant, & pro judicio, ac arbitrio suo sibi dogmata fingant: Catholici omnes appellantur electi, tametsi libero arbitrio suo concurrant; quia primæ vocationi quæ à solo Deo eligente est, respondent: magis autem peculiariter ad beatitudinem eliguntur, licet etiam *sat agant, ut per bona opera* (libere facta ex electione (*certam suam vocationem, & electionem faciant p*. Ambulatur securius, inceditur cautius, quum electa fuerit via veritatis, inquit Simon de Cassia *q*.

k Deut. 32. 4
Objectioni occurritur.
l Joan. 15. 16
m psal. 83. 11
n Deut. 26 17
o vers. 18.
p 2. Pet. 1. 10
q 5. de mirac. uli Domini c. 27.

Judicia tua non sum oblitus) Hieron. *proponebam* שויתי *sciffithi*, nempe præ oculis tamquã placentia mihi, & quæ nollem tradi oblivioni à me, & maxime vellem servare. Vel juxta notionem aliam ejusdem verbi *judicia tua coæquavi*, hoc est, æquæ omnibus reddidi, aut æqua, & justa judicavi, atque his, ut exponit Cajetanus, coæquavi, & cõformavi omnes electiones meas, nihil eligens difforme, seu iniquum judiciis tuis. Thema est vel שית *scuth posuit*, vel שוה *scivah proposuit, aut æquavit*. Ut ex præcipuis bonis in corpore est sanitas, ut in navigatione prosperitas, ita, inquit Philo *r*, in animo non obliviscendorum memoriam. Qui præterea scribit *f* memoriam non quam vis bona esse, sed eam solam, quæ rerum bonarum meminit, malarum autem non oblivisci, nocere maximè.

r Vincent. Ciconia cit. hoc loco.
f lib. de agri. cult.
Memoria bona quæ rerum bonarum meminit.

Vers. 31.) Adhæsi testimoniis tuis Domine, noli me confundere.

Sensus loci.

Tenax memoriam tenacem gignit affectum, quique in mente perpetuo gerit Deũ, habet etiam eumdem in corde. Vivificatus jam desinit infelicem illum statum suum deplorare in quo adhærebat pavimento anima ejus. Orat autem ut amorem suum tantum, atque desiderium Deus non frustretur, nec permittat, ut cum pudore, ac dedecore non obtineat divinorum testimoniorum, & judiciorum intelligentiam, peritia, usum, praxim, exercitationem, in quorum scilicet studium, & meditationem temporis tantum, operæque consumserit. Nam pudore suffunditur, qui non exauditur, & confusio nascitur, ut alias dixi, & hoc loco Arnobius notat, quando quod poscitur denegatur. Nihil etiam discipulo scholas frequentanti & ad magistros ventitanti tam diu magis probrosum, quam nihil, parumve perficere in disciplina, vel arte, cui vacat, vel cui videtur vacare. Atqui *semper discit, & numquam ad scientiam veritatis pervenit t*, quem non juvat *miserans Deus*, quantum vis velit, *curatque u*, ad scientiam, inquam operantem, sine qua in Dei judicio qui comparent, quum ingenti confusione audient, *nescio vos x*. Putat putatus Hieronymus petere anteriorum facinorum indulgentiam consecutum, ne patiatur illum Deus de iteratione peccati confundi.

t 2. Tim. 3. 7
u Rom 9. 16
x Matt. 7. 23 cap. 25. 12.

Adhæsi testimoniis tuis Domine.) Testimonia videtur Genebrardus concedere R. Aben-Ezræ pro præceptis hic sumi per Cabalam, & traditionem Patrum acceptis sine ulla ratione, vel scripto Ego cum ceteris quodlibet genus præceptorum divinorum interpretor; sicut & hactenus. Observavit Eusebius, quem citat Agellius, hoc veluti oppositum esse dictis versu 25 *Adhæsit pavimento anima mea*, & ostendi quantum fecerit progressum Propheta ipse, quem inducit loquentem: quemadmodum denotant illa verba, *confirma me*: nondum factum voti compotem: ista vero *noli me confundere*: indicant metum excidendi, post dictum profectum. Utroque in versu majorem vim importat Græcum verbum κολληθῆναι *agglutinari*, quasi disjunctio, & dissociatio fieri non possit aut vix possit, Eadem phrasi dicebatur psal. 43. *y conglutinatus in terra venter*; & in Genesi z, *anima Sichem conglutinata cum Dina*; & in historia Regum a *anima Jonathæ cum anima David*: & in Deuteronomio *b* Deus ipse *conglutinatus Patribus amando, & diligendo eos* Quibus locis est vel דבק *davak*, vel חשק *chescak*, vel נקשר *nikscar* item προσέχειν, προσκολλᾶσθαι, συνδεῖσθαι, *adhærere concupiscere, ligari*, seu *conjungi*: præterea *intendere, eligere, colligari*, In psal. 62. *c adhæsit anima mea post te* dicitur verbis דבק *davak*, & κολληθῆναι. Adhæsionem, de qua hic agitur, Ambrosius consistere, vult in eo, ut Domini mandata non respuantur, oblivioni judicia ejus non tradantur non indulgeatur voluptatibus, mundo renuncietur; superiorum obliviscamur, ad priora contendamus, ut perveniamus ad bravium, quod est insigne victoriæ. Quo res quælibet suo propriùs, ac firmiùs adhærescit principio, melius habet. *Glutinum bonum, clavique confortantes, ne moveamur d*, testimoniorum Dei observatio est: *charitas vinculum perfectionis e*, vel *pax*. f *Vos, qui adhæretis Deo* dixit Moyses *g*, *vivitis universi*.

y vers. 25.
z cap. 34. 3.
a l. 1 18. 1.
b cap. 10. 15.
c vers. 9.
d Esa. 41. 7
e Col. 3. 14.
f Eph. 4. 3.
g Deut. 4. 4.

Noli me confundere.) Non sunt diffidentis, ut quidem apparet, sed verba confidentis, ac nihil de divinis promissis dubitantis: quum Dei sciat voluntatem esse, ut nullo modo patiatur eum pudefieri, qui confidat in ipsum; De formula ista dictum alias. Major confusio iteratus in peccatum lapsus, post veniam, & dona gratiæ. Sed non confuditur, inquit Ambrosius, etiamsi erubescenda commiserit, qui veniam delictorum poscit à Christo. Probat exemplo Magdalenæ *h* Requirit vero ne confusio sit, ut non solum peccata, sed etiam peccandi affectus auferatur, & non solum temporalis, sed etiam perpetua fiat remissio peccatorum. *Vilis fit nimis iterans vias suas i*; neque turpius quid *cane ad vomitum revertente sua voluntate se in volutabro luti* k.

h Luc. 7. 48
i Jer. 2. 36.
k 2. Pet. 2. 22

Vers. 32.) Viam mandatorum tuorum cucurri, quum dilatasti cor meum.

Sensus loci.

Confusionis loco cupit dilatationem cordis, & pro erubescentia, quam patiuntur, qui male agunt, vel- utque

utque fructum illum colligunt a, voluptatem bonorum operum, atque conscientię bonæ comitem desiderat; memor quam lętus extiterit, & alacer quũ percurreret absque offensione, vel impedimento viam Dei mandatorũ, ipsomet Deo cum viribus ad cursum necessariis, communicante gaudium id in Spiritu sancto, proximum post charitatem: quæ latissimè patet, cujusque *latum mandatum nimis* b, ejusdẽ *Spiritus sancti fructum* c. Simul etiã cuncta quæ antea de se dixerat bona, transcribere videtur in Dei gratiam, quod *elegerat viam veritatis*; quod *non oblitus judicia Dei*: quod *adhæserat testimoniis ejus.* Hoc pacto, quemadmodum *adhæsio ad testimonia Dei* in priore versu opponitur *adhæsioni animę ad pavimentum*, d sic *dilatatio cordis in cursu per viã mandatorũ* adversatur *dormitationi animę præ tædio.* e *Dilatatio cordis* quid sit, docuimus psalmo 4 f Immenso Deo capiendo intra cor nostrum, tamquam intra templum, necessaria latitudo immensa g. *Dilatandum est os animę, ut impleamur Deo*: h *dilatanda* desideriorum *tentoria nostra* i, ut in his habitet; *destruenda borrea angustiora*, quibus rerum creatarum amor includitur, *& ampliora construenda majoraque facienda ut congregentur omnia bona* k gratiæ, illorumque auctor capaciora reddenda cordis nostri vasa, ut oleum divinum copiosè l recipiamus; dilatandi sumus, non autem angustiari debemus circa immodicum cardinalium præsertim voluptatum amorem, sicut Apostulus Corinthios m monebat, ægre ferentes, quod à conjugiis cum infidelibus retraheret illos. Videtur porro in cursu latere comparatio, non tantum contendentis de bravio, qui *ab omnibus abstinet*, n ut rem corruptibilem lucretur; sed pręterea nuncia deferentis, & mandata potissimum Principis, quia talem nunciũ, sive legatum nemo violare, aut in itinere audet impedire: sed is hac fretus auctoritate, iter perficit alacriter, & sine metu. Sed observandus dicendi hic modus de cursu per viam, quum dilatatum est cor: potius enim videtur via fuisse dilatanda, quæ ad vitã ducit, estque angusta, ut ait Hilarius; quoniam cauto in ea ingrediendum est; & tribulata, quia per multas tribulationes, & passiones aditur. Idem Doctor minuit quæstionem, ac ejusdem solutionem, quod postquam Deus dilatavit cor, & dignam sibi, amplamque in ipso effecit habitationem, licet cum libertate, & facilitate currere. Citat ex proverbiis o, *Sapientia in exitibus canitur, in plateis cũ libertate agit*; σοφία ἐν ἐξόδοις ὑμνεῖται, ἐν δὲ πλατείαις παῤῥησίαν ἄγει: quod juxta editionem vulgatam legimus, *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam*. Docet pręterea, exodum proprie esse, ubi ex multis angustis viis in unam patentem viam coitur, plateas latitudines esse, ac dici urbium vias. Ambrosius pro more imitatus hic Hilarius, jubet nos etiam videre, & attendere distantiam, quod via sit angustior, cor latius. Adjungit elegantem similitudinem equi, & quadrigæ currentis, Apostolos vocans duodecajugum mirabile, quibus fræna pacis, habenæ charitatis, qui constricti sint concordiæ vinculis inter se, & jugo fidei subjecti, & quatuor rotis Evangelii mysterium totius Orbis finibus invehant, & bonum aurigam portent Dei verbum, cujus flagello fugentur illecebræ sæculares, exterminetur mundi istius Princeps justorum cursus impleatur. Persequitur quoque mysterium quadrigæ Ezechielis p. Infert Augustinus, quum se David cucurrisse dicit, quum dilatavit cor ejus Deus, non per proprium, & quasi nullius Dei opis indig um arbitrium id fieri, ut scilicet delectemur in iustitia, & in præceptis eius, non timore pœnæ angustemur, sed dilectione dilatemur; sed hoc esse munus Dei. Ludit etiam, sicut alii, quos citavi, in verbo πλατύνειν, alio utens ex Proverbiis q loco, *In plateis tuis discurrant aquæ tuæ*: quia platea de verbo Græco à latitudine nomen accepit, quum Græcè πλατύνειν dicatur *latum*: aquæ autem designant *charitatem diffusam in cordibus.* Eadem sunt fere apud eumdem in Auctore dialogi sexagintaquinque quæstionum. Multa de cursu spirituali dici possent, præterea, quæ aliis dicta sunt locis. Hic videtur perfectis convenire, qualis erat Paulus, qui & se currere affirmabat, licet negaret adhuc esse *perfectum*, & ad cursum alios incitabat, ita *ut comprehenderent. Currunt* perfecti *assumtis alis aquilæ, & non laborant: ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas.* Sic etiam ivit Maria cum festinatione r: *Christũ spiritus expulit* s: Petrus, & Joanes cucurrerunt t; *justus quasi à facie colubri fugit peccatum*: u *ingressus viam sapientiæ & semitas æquitatis currit, non habens offendiculũ* x Repunt incipientes quasi timore tracti qui proficiunt, iam-

[a Rom. 6.21 — b ps. 118. 69. — c Gal. 5.22 — d vers. 25 — e vers. 28. — f vers. 2 — g 1. Par. 29. 1. — h ps. 80. 11 — i Esa. 54. 2 — k Luc. 12. 18. 19. — l 4. Reg. 4. 5. 6. — m 2. Cor. 6. 11. 12. 13. 14. — n 1. Cor. 9. 25. — o cap. 1. — Exod item platea quid proprie. — Apostoli duodecajugum. — p cap. 1. & seqq. — q cap. 5. 16 — r Luc. 1. 39 — s Marc. 1. 12 — t Joan. 20. 4 — u Eccl. 21. 2 — x Pr. 4. 12.]

A que amore ducuntur, sed nondũ adeo perfecto ambulant. Qui amat ardentius, currit velocius, & pervenit citius. Et ordo ille triplex attendi adhuc potest in ambulantibus, currentibus, volantibus, de quibus Esaias y. Gregorius z præceptum comedendi Pascha a festinanter, interpretatur secundùm tropologiam, quod mandata Dei, mysteria Redemtoris, cœlestis patriæ gaudia cum festinatione impleri, nec quemquam in huius vitæ itinere torpere oporteat, ne patria locum perdat, non moras ad appetenda studia innectere; sed cœpta perficere, ne minime liceat implere quod inchoa vereat. Zachæo iniunxit Christus, ut *festinans descenderet, ispeque festinans descendit*; & idcirco salus domui eius eo ipso die facta est b. *Velociter currenti sermoni* c Dei, velox accessit sequens, ut Bernardus d observat, urgens etiam festinatam paschalis Agni comestione, de qua modo dixi: (& notatur ad idem propositum à Chrysostomo e) præterea Jacobi f monitum, ut *simus veloces ad audiendũ*, sed ad obediendum, & implendũ velociores. Fidelis obediens, inquit, (& hilaris videlicet, quam inter alias conditiones quoque, gradusve septẽ B ponit) nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, manus operi, itineri pedes, totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem *Festinandum* volentibus *ingredi in illam requiem*: g *surgendum & properandum amicę sponsæ, ut perveniat ad sponsum*: h *sitiens ad aquas properare* debet, *sicut cervus* i: *trahendi sumus odore divinorũ unguentorum* k, nisi vel mortui sumus, vel putridi, ut ratiocinatur Bernardus; l Cunctando iam non restituitur res, sed destituitur. Cito dans, bis dat; *vix velox in opere suo, coram Regibus stabit, nec erit ante ignobiles* m: *nec infirmitas occurret ei* n. Talis Abraham, *currens in occursum hospitũ* o, de quo Ambros. p, præsertim Chrysostomus q, Origenes r. Qui cursum magna contentione peragit, nullum videt occurrentium, omnia transit, animum ad cursum intendit, festinat ad scopum, non subsistit, donec pervenerit, ut philosophatur Chrysost. s ad mores. Pudeat cursu superari ab impio, cuius *veloces pedes ad effundendum sanguinem*, t & *ad malum currunt* u, quippe *convertuntur ad cursum suum, quasi equus ad prælium* x, & cui *juxta est* propterea C *dies perditionis, & adesse festinant tempora* y, *ut abeat in locum suum* z. Quamvis in via Domini *claudicet* hic idem impius *in utramque partem*, a sive *poplite utroque*, aut *pede*, ut legit August. b, explicans, quod facit etiã Rupertus, c de pede fidei, & operum, atque pertineat ad civitatem, quam vocat Micheas d; *claudicantem*: vel sit similis claudo ex uno pede Jacob e, propter operum defunctum, ut idem Ruperto f placet, post Gregorius g. Qua de re dixi psalmo 17. ad ea verba h. *Filii alieni inveterati sunt, & claudicaverunt à semitis suis.* Caveat qui *currit bene* ne se *impediri* sinat *veritati non obedire* i, à via resilire, in via subsistere. Ut currat, magistro utatur Deo, & Auctore, cuius, ut ait Philo, celerrimæ præceptionnes, hominum autem tardæ.

Viam mandatorum tuorum cucurri.) Hieronymus; *curram*, ארוץ *aruts*. Sed non raro pro pręterito futurum ponitur, viceque versa. Hilarius, *in via præceptorum tuorum cucurri*.

Quum dilatasti cor meum.) Hieronymus, *quoniam* Alii exponentes in futuro, *curram* addunt, *cum* vel *ubi dilataveris*. Campensis, *viam mandatorum tuorum curram qui-* D *bus exhilares meum*: quasi dilatatio cordis, & exhilaratio nascatur ex ipsismet mandatis; nec currendi caussa per viam istam dicatur infusa lætitia cordi Deo, prout communis habet expositio, à qua minime recedendum. Apollinarius tamen dicto illo modo videtur intellexisse,

σῆς ὑποθημοσύνης ἀριδείκετον ἔδραμον οἶμον
ἦ ὑπερμαλ' εὐρύνειας ἐμοῖς ἐνὶ στήθεσι θυμόν.
Tui mandati claram cucurri viam.
Quando valde dilatares meis in pectoribus animum.

Quũ dilatasti cor meũ.) Dixi alios caussaliter exponere, *quia dilatasti.* Pręterea monui de dilatatione cordis alias actum esse. Procopius k virgas ex platano, quibus utebatur Jacob l, quæ procera est, latisque constat foliis, accommodat ad Christum in cęlum assumtum, iuxtaque arboris eiusdem etymon, à latitudine, nos dilatari per fidem, & charitatem, quasi insitos Christo; angustam vero legem esse. Quod confirmat loci præsentis, & similium testimonio, quæ prius etiam indicata sunt: per alias eiusdem Jacob virgas designari Christum mortuum, & resuscitatum, ideft, per populeas, & amygdalinas.

HE.

[y cap. 40. 31 — z hom. 22. in Evang. Tropologia — a Exod. 12. 11. — b Luc. 19. 5. 6 — c ps. 147. 15. secund. Heb. — d ser. de virtute obed. — e hom. 7. in ep. ad Hebr. — f cap. 1. 19. — g Hebr. 4. 11. — h Cant. 2. 10. 13. — i Esa. 55. 3. ps. 41. — k psalm. 2. 2 — l Cant. 1. 3 — m ser. 22. in cant. — n Pr. 22. 29. — o Eccl. 31. 27 — p Gen. 18. 2. — q de Abraham. c. 3. — r hom. 28. in Genes. — s hom. 4. in Gen. — t hom. 38. in Gen. & hom. 7. ad Hebr. — t psalm. 13. 3 — u Pr. 1. 16. — x Jer. 8. 6. — y Deut. 32. 35. — z Act. 1. 25 — a 3. Reg. 18. 21. — b ps. 19. in Ev — c in Michæ 4 — d cap. 4. 7. — e Gen. 32. 3 — f supra. — g 19. mor. c. 21. — h vers. 46. — i Gal. 5. 7.]

HE.

Vers. 33.) Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum, & exquiram eam semper.

IN longiore psalmo isto, ut antea monui, rem eamdem repetit David variis modis, & ad affectum demonstrandum, & ad levandum fastidium. Octonarium præsentem insumit in legis observandę postulando desiderio, lumine, quo illam intelligat; gratia, qua impleat; & ut removeantur contraria impedimenta. Sed pręsentis versus hæc sententia, petitioq; ut concedat Deus nullam aliam legem velle, nisi quam ipsemet posuerit, tulerit, dederit, quæ est via justificationum, atque ut commonstret eam, & declaret unde fiat, ut semper in omni opere investiget, quid lex jubeat, nec ab ipsius umquam præscripto discedat, sed in ejus perpetuo vestigiis insistat, ac nullo ab illo tempore mentis oculos avertat. Qui *via mandatorum se cucurrisse* dixerat, *dilatato corde*, proficere magis, ac magis, & currere amplius, atq; exquirere, cupiens, quod habet, ait August. sequutus Prosper, à quo accepit, poscit augeri, donec postquam apprehenderit quod exquirit, perfectum sit gaudium sine periculo amittendi. Hilarius vult Prophetam velle per viam, ac legem veterem perduci ad novam, & ad Christum, qui dicitur *finis legis* a. Quum eodem Ambrosius docet petere velut itinerarium, ac viandi ordinem exemplo militis, qui eum capit ab Imperatore, ac stativas, & mansiones, cujusmodi olim illæ Hebræorum in deserto b, eosdem *præeunte columna nubis, & ignis* c, tamquam viarum lege Christum præfigurante. Sed longa hæc oratione Ambrosius prosequitur, interferens ex Canticis loca nonnulla, & ex aliis libris sacris.

He.] Tradit Ambrusius, eumque sequuti Avendanus Camerarius. Lindanus, hanc litteram significare *est*, aut *vivit*. Neutrum proprie: quia הוה *baiah* valet *esse* חיה *chaiah vivere* sive *fuit*, *vixit*. Hieron. d interpretatur, *ista*. Alii *ecce*, quoniam הוא *hu* vel היא *hi* sunt pronomina demonstrativa, & הנה *binne* significat *ecce* Quasi per hanc litteram demonstretur lex, quam David postulat, nimirum quæ justificat, & vitam gratiæ tribuit, quam vitam, & ipsum esse, alii, ut dixi, eadem littera denotari afferunt. Caninius interpretatur *vermem mali punici*. Sed nescio qua de caussa.

Legem pone mihi Domine.) Hieron. loco primarum duarum dictionum vertit, *ostende mihi*, quod est Hebraicè הורני *boreni*, & ab aliis redditur, *doce me*. Idem Hieron. quod extat in ps. 24. e *Legem dabit delinquentibus in via*, transfert, *docebit*, præterea in 26. f *Legem pone mihi Domine in via tua* (*ostende mihi Domine viam tuam*) eodem pacto pro, *Legem* g *statuet ei in via* (*docebit*) quibus in locis est ירה *iarab*, & νομοθετεῖν. In alio autem ps. h distinctis vocabulis שם תורה *thorab scam*, νόμον ἔθετο *legem posuit*. Hilarius notat non ita absolute potuisse virtutem verbi Græci, & Hebraici explicari; sensum vero esse, ut qua lege viam justificationum DEI adeat, & intelligat, & sciat Propheta. Videntur LXX. attendisse à dicto verbo ירה *iarab* derivatum nomen תורה *thora* significans *legem*; & idcirco transtulerunt non simpliciter *docere*, sed *legem ferre*, ac *ponere*, νομοθετεῖν, quod: Hilarius per *constituere*, Ambros. per *statuere* reddidit: Symmachus ὑπόδειξον *demonstra*: Aquila φώτισον *illumina* Apollinarius δίδαξον *doce*, quod Hebræo verbo propriè significari dixi. Sic autem locum non habet August., & aliorum quęstio, quomodo legem poni petat David, quum jam dudum posita, & tradita esset, curque justus roget sibi poni, cũ Apostolo i teste, *non sit justo lex posita*. Non absolute poni legem petit Propheta; vel etiam sibi, sed ut jam latam ponat Deus, ac imprimat in cor suum; nec placet alia, quam illa, non lex peccati, non mundi carnis, non ipsa etiam per se lex carnaliter intellecta, & non secundùm spiritum, atq; secundùm relationem ad novam, & ad Christum. Denique posset exponi νομοθετεῖν, referendo ad ὁδὸν τῶν δικαιωμάτων, *præscribere viam justificationum more, cujusdam legis*, quod est in via justificationum assignare legem modumque, quomodo, seu qua lege, ut Hilarium dicentem audivimus, viam illam adire, intelligere, scire possimus, & pro lege serviat via justificationum. Quo pacto autem *justo lex posita non sit*, alibi docuimus, nempe, ut etiam hoc loco notat August., non ad coercendum timore pœne, ut quis obediat invitus, sed ad ingenerandum amorem justitiæ in corde dilatato per charitatem, & dilectionem, quæ *legis plenitudo est* k, ita

[Sensus loci. — a Rom. 10. 4. — b Num. 20. 23. — c Exod. 13. 21. 21. — Litterę ה he notio. — d Proem. in lament. & ep. ad Urbicum. — e vers. 8. — f vers. 11. — g ps. 24. 12. — h ps. 77. 5. — i 1. Tim. 1. 9. — Lex justo quomodo non posita.]

A ut quod præscribit lex minando, faceret, quamvis nec præscriberet, nec minaretur, utpote *sibimetipsi lex*, l quæ *propter transgressores posita est*: m & *non timens potestatẽ* quia *bonum facit* n. Nec equo mansueto frænum necessarium facile obtemperanti, & obsequenti; nec instructio illi quia non eget pædagogo: nec sano medicus; nec vehiculum illi, qui eo jam pervenit, quo cursum dirigebat. Hoc ipsum sensit Plato, ut meminit apud Clementem o Alexandrinum Socrates, dicens legem non esse factam propter bonos. Aristoteles p, in viros bonos, ac virtute præstantes legem non esse, quod ipsimet sibi sint instar legis. Nimis arcte sententiam illam is, qui vulgo creditur Ambrosius q, applicat ad homines novi testamenti, solutos lege vetere cæremoniali, & judiciali. Nam verus Ambrosius r juxta dictum modum exposuit, quia, inquit, justus legem habet mentis suæ, & æquitatis, ac justitiæ suæ normam: ideoq; non terrore pænæ revocatur à culpa, sed honestatis regula. Legatur aliquot aliis locis August. s Acumen habet quod ait, t *justo legem positam non* B *esse* idest impositam, ut supra illum sit: quoniam in illa est potius, quam sub illa. Inde provenit quod jugum, & onus legis perfert justus absq; labore; immo sic onus quidem sentit, quemadmodum pondus Arcæ Levitæ, propter obsequii divini remunerationem, non sentiebant, si Lyrano u creditur, quod Abulensis x detrectat. Erat veterum præceptorum numerus tredecim, supra sexcenta, ut supputat Galatinus y: aut quot integri dies anni, ut Burgensis z, & R. Moyses a. Davidi cuncta levia videbantur; & plura sibi imponi cupiebat, propter legem charitatis, ad quam quotquot sint, referuntur. Esset hic idoneus disputationi locus de legis utilitate, ac necessitate, præter insitam rationem *signatumve super nos lumen vultus divini* b. Inconstantia, incertitudo humani judicii, & super naturalis propositus nobis finis; ut de actibus internis feratur judicium: ut mala omnia punirentur & prohiberentur, ut Angelicus c Doctor demõstrat, utens hujus loci auctoritate, in caussa fuerunt, cur legem aliquàm divinam esse oportuerit. Modus ipse dicendi, quo potitur, ut Deus legem ponat, si vim faciamus in Lati- C no verbo, innuit legem, quam vocant positivam, quæ dividitur in divinam, & humanam.

Viam justificationum tuarum.) Hieron., *præceptorum tuorum*. Quo pacto sæpius redditum ab eo nomen חקים *chukkim* antea vidimus. Propriè id quod petit doceri David, ut sonat Hebræum verbum, via est justificationum, non lex, tamquam quid diversum, ut paullo quoque prius ostendimus.

Et exquiram eam semper.) Ambrosius, *quæram*: sed habet *exquirendi* verbum majorem vim, ut & ἐκζητεῖν; נצר *natsar* autem est *observare & custodire*. Vertitur versu 129. per verbum *scrutari* & ἐξερευνᾶ. Hieron., *& custodiam eam per vestigium*, addens præpositionem ad עקב *bhekeu*. Quod Trevetus explicat, ut ne minimo quidem vestigio decliner à via præceptorum divinorum, ambulando per eam. Chaldaicè, *& servabo eam usq; ad complementum*, vel, *usq; in finem*. *Est* namque calcaneus, quem vox Hebræa significat, ultima corporis pars, & Chaldea גמירא *ghemira* valet *consummationem, perfectionem*, & ut ita dicam, *totalitatem*, & *integritatem*, ita ut nulla re D excepta velle se significet totam legem observare *usq; ad calcem*, aut *ad unguem*, seu *ad finem*, vel propter mercedem, quæ nomine eodem Hebræo significatur, quia est finis laborum, daturque perseverantiæ. Vel, non suppleta prępositione, *& custodiam finem*, idest, semper ad finem, scopumq; ultimũ meum in hac via & stadio ero intentus, nec tamquam inde oculos deflectam, aut etiam in omni opere meo peculiari attendam quem ad finem id faciam. Præterea, si vestigium retineamus, indicabitur quod pręire id debeat Deus tamquam index, ac dux viæ, atq; commonstrator, quem *qui sequatur, non ambulet in tenebris, sed habeat lumen vitæ* d. Ad hæc quod omnis creatura, quam Dei vestigium Theologi vocant, ducere nos debet ad exquisitionem practicam, custodiamq; divinæ legis. Notat hęc prę aliis diligentius Titelmanus. Idem Ambrosius rectè admonet, non esse mediocre quod quæritur paradisi Dei gratia regnum, Angelorum consortium, immortalitatisq; domicilium; propterea non uno die quęri, nec duobus, aut paucis mensibus, sed sẽper, & per omnia, ut meritorum multa concurrant suffragia: διαπαντὸς enim & *omne tempus* significare, & *per omnia*. *Quærenda* dicitur alibi e *facies Dei semper*: non quod non habeatur à beatis, aut quod *semper* hic *discendo numquam ad veritatis*

tatis

[k Rom. 13. 10 — l Rom. 2. 14. — Lex propter transgressiones posita. — m Gal. 3. 19. — n Rom. 13. 2 — o 4. Strom. — p 3. Polit. c. 9 — q in 1. Tim. 1 & in Rom. 2 — r 3. offic. c. 5. — s in epist. ad Gal. ep. 9. tr. 3. in Ev. Jo. 3. contra ep. Pelag. c. 4 l. de nat. & grat. c. 20. — t in ep. ad Gal. — u in 1. Par. 15. — x ib. q. 35. — Veterum præceptorũ numerus. — y l. 11. cap. 4. — z 1. scrut. d. 8. c. 9. — a 5. ducto dub. c. ult. — b ps. 4. 5. — c 1. 2. q. 91. a. 4. — Lex positiva duplex. — d Joan 8. 12 — e Ps. 104. 4.]

a 2.Tim.3.7 *tatis scientiam perveniatur* a; sed ut hic semper proficia-
tur, sciendo & diligendo; ibi autem quod jam *facie ad*
b 1.Cor.13.12. *faciem videtur* b, sine fastidio diligatur, & id agatur, ne
Deus, lex, & veritas amittatur. Hoc modo August. Sed
hoc secundum non potest עקב *bbekeu* significare. Postre-
mo pronomen, *eam*, posset referri tùm ad *viam*; tùm ad
legem, sed exigit Hebræus, Græcusq; textus, ut referatur,
ad *viam*, quia in illis nomen *legis* non extat.

Vers. 34.) Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.

Sensus loci. UT sciatur lex quomodo scienda est, & intelligatur
quid sibi velit, quod eis posita sit, etiam, qui eam
non erant servaturi, quidque habeat utilitatis etiam hoc
ipsum quod *lex subintravit ut abundaret delictum*, quia
nemo comprehendit nisi à Domino acceperit intellectum
hunc, ut ait August., intellectum, petit Propheta, & quum
legem scrutatur isto modo fuerit; & ad alta ejus pervene-
rit, in quibus tota lex pendet, pollicetur *Deum diligere*
ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, & pro-
c Mat.22.39 *ximum suum tamquam seipsum* c. Extenderem ad deside-
rium intelligendæ legis utilitates, præstantiam, difficulta-
tes, sensum proprium; idque in eum finem non ut curiose
intelligatur, sed ut toto corde custodiatur atque in usum
Lex per se difficilis. deducatur. Ex quo bene colligit Origenes ab Agellio pro-
latus, legem non esse per se σαφῆ, nec εὐκαταφρόνητον *perspi-*
cuam, & parvipendendam, sed opus habere Dei συνεργίᾳ
cooperatione, & studio nostro, τῇ ἡμετέρᾳ σπουδῇ. Infert ad-
huc, si scrutatio indiget intellectu, multo magis ut quis
d 2. l. 11. finem inveniat. Cui simile argumentum Hilarii opere de
e l. 1. Trinitate, *d* qui præterea scribit *e*, ingenium hominis
quantumvis sagacissimum, huic indagini non sufficere,
sed ad eam opus habere novi regenerati, ingenii viribus.
f ps. 18.9. Nec vero repugnat quod alibi f *præceptum Domini luci-*
dum appellatur; & quod *mandatum non sit supra nos, neq;*
procul positum, nec in cęlo situm, neque trans mare positum,
sed juxta valde in ore nostro, & in corde nostro ut faciamus
g Deut.30. 11.13.14. *illud* g. Hęc vera sunt, posita gratia divina, quæ nulli ne-
Sine Dei gratia nihil possumus. gatur, saltem circa ea quę sunt cuique necessario scienda,
& facienda. Quin absque gratia, eadem *non sumus suffi-*
cientes cogitare ex nobis sicut ex nobis, nec dicere Dominus
h 2.Cor.3.5 *Jesus, sed sufficientia nostra ex Deo est*: *h* quod de pia co-
i cap.7. gitatione declarat Concilium Arausicanum *i*. Ceterum,
ut observat Cassiodorus, tam crebra petitio arguit non
modo affectum, sed quod semper Dei dona postulanda
sunt à nobis, ut conserventur, quia semper donat, qui sē-
per in nobis dona conserva. Etsi autem donum quoddam
inter alia Spiritus Sancti dona est, quod vocant intelle-
ctus quo dono considerantur credenda, non tantum ut in
se sunt, sed etiam secundùm quod sunt regulæ humanorū
k D. Thom. 2.2.q.8. ar. 3. actuum in ordine ad finem supernaturalem *k*; nec nisi ju-
sto inest cum ceteris donis, ut propterea videatur justus,
ut plurimum firmius adhęrere rebus fidei, quam peccator
nihilominus non arbitror hic esse sermonē de dono isto,
quamvis id sentiant Avendanus, Rickelius, Camerarius:
sed in genere de intelligentia; & cognitione legis magis
perfecta atque attendendo diligentius ad legem, aliæ oc-
cupationes non impediant, ac veluti obstrepant Interpre
tatur Apollinarius petit πινυτήν, *prudentiam*, & Hieron.
vertit, *doce me*. Favet quidem dono Intellectus, quod
l cap.11.2. apud Esajam *l* vocatur בינה *binah* σύνεσι, verbum præ-
sentis loci, cum affixo הבינני *hauinent*, & συνέτισον, nihi-
lominus amplior est horum vocabulorum acceptio: neq;
cur hic restringi debeat caussa suppetit, quemadmodum
m ps.118.130 nec ubi scribitur, *m* quod *intellectum Deus dat parvulis*,
ubi est ejusdem verbi Hebræi participium מבין *meuin*, &
Græcum verbum συνετιεῖ in futuro, & reddit Hieron.
n 2.Esd.8.7. *docet*. Denique quod apud Nehemiam *n* legimus, quod
Levitæ silentium faciebant in populo ad audiendam le-
gem, extat Grecè διασυνετίζοντες τὸν λαὸν τὸν νόμον; *erant*
instruentes vel *attentum reddentes populum*. Usurpant
quoque Græci συνετίζειν ἀκοὰς, *intelligere facere au-*
ditus, vel aures, quibus audimus, & intellectum, ad
quem res auditæ perveniunt. Sed in epistola ad Ephesios
o cap.3.6. ὁ σύνεσις Latinè *prudentia* vocatur, ubi locus totus ad rem
nostrā facit, *Quoniam secundùm revelationem notum mi-*
hi factum est sacramentū sicut supra scripsi in brevi, prout
potestis legentes intelligere prudentiam meam, τὴν σύνεσίν
μου, in mysterio Christi. Syriacè, *cognitionem meam*,
בידעתי *idabbthi*. Idem judicium de eo, quod scribitur Ti-
motheo, * *Intellige quæ dico, dabit enim tibi Dominus in* * 2.c.2. 7
omnibus intellectum, σύνεσιν: Syriacè *sapientiam* חכמתא
chechmetha. Ut omittam porrò Enarratores psalmi, Au
gustinus alibi *p* præclarare tradit sensum, quem dixi, p Tr.39. in Joan.
quum docet auditum fieri per loquentem exterius, intelle-
ctum per intus in intellectu operantem Deum. Cui dixit
psalmus noster, (videlicet infra *q*) *Da mihi intellectum,* q vers. 73.
ut discam mandata tua, הבינני *hauineni*, συνέτισόν με, &
ex Hieron., *doce me*. Respondet Deo dixisse, qui nescio
quid incorporaliter, & spiritualiter facit in nobis, quod
nec sonus est, quem percipit is etiam, qui Latinè nescit,
& loquentem Latinè audit; nec color, qui oculis discer-
natur; nec odor, qui naribus percipiatur, nec sapor, qui
faucibus judicetur; nec durum, nec molle, quod tangen-
do sentiatur. Hoc est *è Deo aperiri cor alicui, ut intendat* r Act.16.14
his, quæ dicuntur r, aut leguntur, *Beatus homo, quem* s ps.93.12.
erudit Deus, & de lege sua docet s, & cui ad custodiendam
illam dat auxilium necessarium; ut observat etiam Au-
ctor libri de prædestinatione, & gratia *t*. Mandata cre- t c. 1. apud August. to.7.
ditus Hieron. intelligit per *intellectum*: & hunc petere u ps. 31.9.
B Prophetam, ne sit *sicut equus, & mulus, quibus non est*
intellectus u. Ecclesiam etiam rogare, ut intelligat discre-
tionem inter bonum & malum, inter vitam & mortem,
inter litteram & sensum: deniq; ut intelligat, prædicet,
opere impleat.

Da mihi intellectum.) Satis egi de varia translatione,
quidq; sit hoc loco *dare intellectum*. Non est תבונני *ba-*
uineni, ut placet Vincentio Ciconię, à בנה *banach ędi-*
ficare sed à בין *bin, intelligere*. Ac proinde nec ad rem fa-
cit allusio ejusdem, quod quemadmodum ædificans quę
que suo loco disponit, & lapidem lapidi apponens, ędifi-
cium auget: ita qui vitam, actiones, & cogitationes suas
novit, apte disponit, & in his, quę intelligit, opere pro-
ficit semper. Certum vero est de potentia ipsa intellectus,
non esse sermonem, quæ nec proprie gratiæ munus dici
debet, ut Pelagiani tamen loquebantur. Beneficium non
vulgare est libero ad usum intellectu præditum esse, ut ea
de caussa gratiæ Dei agi debeant, & orari Deus pro con-
servatione. *Benedicturum Dominum* canebat se David,
qui tribuisset sibi intellectum: *x* quamvis Hieron. expo- x ps.15.7.
C nat, *consilium*, propter verbum cum affixo יעצני *tabbat-*
sani. Æstimandum beneficium ex opposito damno fa-
tuitatis, & stolidatis.

Et scrutabor legem tuam.) Hieron., *observabo*, אצרה
etserab. Quod verbum est in priore versu: quamvis ibi sit
ἐκζητήσω hic ἐξερευνήσω. De honesta, & vitiosa scruta- y vers. 2.
tione divinæ legis dictum jam prius *y*. Malus *scrutator* z Pr. 1.25. 29.
majestatis opprimitur à gloria z *& scrutatores* tales *secre-* a Esa.40.12
torum dat Deus, quasi non sint a; eos item, qui circa le- b Exo.19.12
gem trascendere velint *terminos* ad videndum *b*. Juvat
quod noster B. Ignatius præscribebat, ejusmodi perscru-
ratio, qua quis rationes excogitat, ut quæ à suis majori-
bus injunguntur, defendat, atque cum ratione congrue-
re demonstret. Non *opprimitur à gloria*, qui non est
scrutator majestatis, sed voluntatis. & formidolosa scru-
tatio majestatis: at voluntatis, tam tuta, quam pia, ut c serm.62.in Cant.
scribit Bernardus *c*, hoc adens, Quidni tota diligentia d Col. 1. 9.
scrutando instem sacramento gloriæ voluntatis, cui mihi
parendum per omnia sciam. Volebat Paulus *d*, nos *im-*
D *pleri agnitione voluntatis Dei.*

Et custodiam illam in toto corde meo.) Additum est pro-
nomen *meo*, quod abest ab Hebræo textu. De phrasi au-
tem dictum versu 2. & 10. quid sit *in toto corde exquirere* e Pr.23.26.
vel custodire. *Præberi sibi cor poscit Deus a Filio* e, ut in f 1.Jo. 3. 20.
eo condat legem suam, tamquam in incorruptibili arca,
Major est Deus corde nostro f: tota igitur ipsius latitudine,
& amplitudine cupiendus. *Populus meus, lex mea in cor-*
de eorum, inquit Dominus *g*, quasi hæc sit definitio popu- g Esa. 51. 7.
li Dei, quod sit *lex ejus in corde illorum*. Quod & de justo
canitur in quodam psalmo *h Lex Dei ejus in corde ipsius*. h Ps. 36. 31.
Appropinquat populus improbus Domino ore suo, & labiis
suis glorificat, cor autem ejus longe est ab illo timetq; tan-
tum eum mandato hominum, & doctrinis. i *Inclina*, inquit i Esa.29.13. Mat. 15. 8. Marc. 7. 6.
Sapiens k *aurem tuam & audi verba sapientium; appone* k Pr.22. 17 18.19.20.21
autem cor ad doctrinam meam, quę pulchrę erit tibi, quum
servaveris eam in ventre tuo, & redundabit in labiis tuis;
ut sit in Domino fiducia tua: unde & ostendam eam tibi ho-
die: ecce descripsi eam tibi tripliciter in cogitationibus, &
scientia, εἰς βουλὴν, καὶ γνῶσιν ἐπὶ τὸ πλάτος τῆς καρδίας σου,
in consilium, & scientiam super latitudinē cordis. Et juxta
LXX. sequitur, *Doceo igitur te sermonē bonū, & cognitio-*
nem bonū audire, ut respondeas tu sermones veritatis pro-
positis

positis tibi. Ubi Origenes, Turriano teste, observat sen-
sum triplicem: historicum, sive litteralem, instar corpo-
ris; moralem, instar animæ: mysticum, sive allegoricum,
instar spiritus.

Vers. 35.) Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui.

Sensus loci. PErsistit in gratiæ petitione ad implendam legem, &
incedendum per semitam mandatorum, quæ est an-
gustior via, brevior, magis recta, & munda, nec trita, nisi
ab hominibus. Nam cum Domini lege aliæ leges compa-
ratæ, ut mundi, carnisq; latæ, ac spatiosæ sunt; lutulentæ,
& sordidæ, obliquæ, atq; sinuosæ, per quas incedunt car-
nales homines, atq; animales. Non in hanc viam, sed in
illam semitam deduci petit, *& perfici gressus suos in illa*
a ps.16.5. a, & *deduci per semitam justitiæ* b, *& hanc edoceri* c: &
b ps.22.3. *dirigi in semita recta* d, *& æquitatis* e, *& lucis splenden-*
c ps.24.4. d ps.26.11. *tis* f, *& vitæ* g, *& judiciorum Dei* h, *& veritatis* i, quas
Esai.26.7. B conqueritur Baruch k, *non intellectas, non commemora-*
e Pr.4.11. *tas, non exquisitas*. Rationem vero cur exaudiri debeat,
f vers 18. g c.15.24. affert, quia semitam illam ipse voluerit, ac per eam ele-
h Esai.26.8 gerit ambulare: quamvis non absq; munere gratiæ Dei:
i Baruc 4.13 decet autem, immo necesse est, ut ab eodem sit *perficere*,
k c.3. 21.23.31. à quo *velle*. *l* Nostrum est quidem velle, ac motum vo-
l Phil 2. 13. luntatis conferre: Dei opem ambulandi tribuere, ut Eu
m apud Agel. sebius *m* loquitur: sed ipsummet velle in rebus ad pieta-
tem spectantibus, Dei est, ob auxilii gratię necessitatem;
licet ipse libere volendi, vitaliter operādi modus, volenti
creaturæ adscribatur, non Deo: tametsi potentiam ipsam
liberam voluntatis dederit, cum anima ipsa Importari
quoq; vult idem Eusebius in vocabulo *semita*, τῷ τρίβῳ,
modum, & ordinem mandatorum, τρόπον καὶ τάξιν τῶν
ἐντολῶν; quoniam ordine quodam disposita sunt, ut
Christus quoque dixit de duobus præceptis charitatis *n*.
n Mat.22.37 38.39. Origenes *o*, quia *semita*, ac τρίβος tritam viam signifi-
o apud Agel. cat, quam justi viri multi ante nos ambulaverunt. exem-
Marc.8.34. pla, & imitationem Sanctorum, qui nos præcesserunt,
atq; ipsiusmet Christi, quem nos oportet *sequi tollendo*
crucem p *nostram*. Idem fere observat Euthymius circa
Græcum nomen τρίβου, *tritę viæ*; quodque non sit una
nova, sed à multis frequentata. Basilius innui notat si-
militudinem aquæ ad declivia delatę; & si quos egres-
sus nacta fuerit illo se totam recipere: ad hunc modum
& humanam naturam diabolo viam ad peccatum ape-
riente, ad id, quod pejus est, sese avertere; propterea
convenienter Prophetam orasse, ut cor suum ad divina
testimonia, (quod sequenti continetur versu) acclinetur,
& ut effugere possit, ne ad utrumvis partem exorbitatio-
p Sap.10.10. nem experiatur. Deductione indiget unusquisque per bi-
vium Herculis, & ad instar Pythagoricæ litteræ Y, *p* de
qua prius alibi dixi; utque justum Deus *deducat per vias*
q ps.42.3. *rectas, ostendo illi regnum Dei*, q *& emittat lucem atque*
r Exod.33. 14.15. *veritatem quæ adducat, & deducat in montem sanctum, &*
s c.13.21. 22. *in tabernacula æterna* r. Præcedere Moyses Deum in de-
serto volebat, *& educere, deducere, perducere*, *s* quod co-
t cap.52.12 lumna duplici fecit *t*: pollicitus est etiam Esaias *u*, quod
u cap.63.14. *præcederet, & congregaret*: vocatque ipsum *spiritum Do-*
mini ductorem: *x* sicut & Moyses *y*. Orabat noster Da
x Nu.10.31. vid, vel optabat, ut *spiritus bonus Dei deduceret ipsum in*
Deut.1.10 & 8.14 c.31.6. 8. *terram rectam* z. *Væ* autem Deus pronunciavit per Eze-
chielem *a sequentibus spiritum suum*. Extra viam am-
y ps.142.10 bulant mali, in via boni, per semitam optimi. Primos tam-
z cap.13.3 quam *stultos afflictos labor, nescientes pergere in urbem* b
a Eccl.10.15 *& lassantur in via iniquitatis, ambulantque vias difficiles*
b Sap.5.7. c. Secundi incedunt in *via* charitatis *excellentiore* d,
c 1.Cor.12.31. d Pr.14.2. quamvis *despiciantur ab iis, qui infami gradiuntur via*,
e ibid.12. *e cujus quum videatur, justa, & recta, novissima deducūt*
f cap.16.17. *ad mortem* f. Ultimi sunt potissimum, quos appellamus
regulares, & quorum vivendi rationi qualitates semitæ
initio allatæ perfectius conveniunt; quoniam *semita* ta-
lium *declinat mala*, etiam leviora. Præterea, ut observat
g serm 256. Grevaus *g*, quoniam ratio illa vivendi arcta est in cibo,
potu, vestitu, somno; solis expertis nota est, veluti com-
patriotis; à solis pedestribus trita, idest, à pauperibus.

Deduc me in semitam mandatorum tuorum.) In ablati-
vo Græcè ἐν τῇ τρίβῳ. Sensus est, ut deducat per genuinam
intelligentiam & exactam observationem, & exactio-
rem observandi modum, & compendia majora. Quot De-
calogi præcepta tot semitæ, ut prætereamus adeo multas
aliàs judicialium, & ceremonialium semitas præcepto-
A rum, quę designant veluti breviorem & certiorem viam.
Christus omissis quoq; angustioribus, & arctioribus con-
siliis, legem universam evangelicam, *arctam, angustamq;*
nominavit *h*; per quam sit incedendum volentibus ad sa- h Mat.7.13. 14.
lutem, ac vitam beatam pervenire, & semitas quasdam
constituit, quum dixit *i*, *Audistis quia dictum est anti-* i c.5.21. & seqq.
quis, &c. Ego autem dico vobis. Hilarius annotat non
dictam *semitam legis*, nempe Moysis, sed *mandatorum*,
quia horum via trita est, ac in ea institerunt illi primi
Abel, Seth, Enoch, Noe, Melchisedech, Abraham,
Isaac, Jacob: Christum autem Ducem in omnibus esse.

Quia ipsam volui.) Chaldaicè בתעבותי *behtseuetb*, *in*
illa complacui mihi. Aquila ἐν αὐτῇ ἐβουλήθην, *in ipsa vo-*
lui. Theodotio, VI. editio, & Symmachus ut LXX. V.
editio ἐν αὐτῇ ἠθέλησα. Putant aliqui *k* plus esse dicere k Agel.
ἠθέλησα, quod hic habetur, quam ἐβουλήθην, ut nempe hoc
simplicem voluntatem denotet, illud ardentem, & amo-
re flagrantem. Hoc ego discrimen probari vellem, non
simpliciter affirmari, & Aquilā retulit vertisse ἐβουλήθην.
B *Complacentiam* potius importat Hebręum חפץ *chaphats*,
sive *affectum & acceptationem*. Nec dubito hanc esse pre-
sentis loci sententiam, quam sic exprimit Apollinarius.

εἰ δέ μ' ἡγεμόνευσας ἐπ' εὐνομίῃσι τεῇσι
πᾶσαν ἐμῆς πραπίδεσσι λιλαίομαι ἀμφιβαλέσθαι,
Si vero mihi Dux fueris in æquitatibus tuis,
Universam meis præcordiis cupio amplecti.

Observat Hilarius pronomen, *ipsam*, referri ad *semitā*,
quæ Græcè fœminini generis est, nempe τρίβος non ad
legem ex superiore versu, quæ Græcè masculini generis
est, nimirum νόμος.

Vers. 36.) Inclina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam.

TAmetsi ante significaverit se semitam mandatorum Sensus loci.
Dei voluisse, viam veritatis elegisse, adhæsisse testi-
moniis Domini viam mandatorum ejus cucurrisse; flagi-
tat hunc suum tantum amorem, ac tam ardens deside-
C rium magis magisq; incendi, & adeo quotidie affici erga
divinam legem, ut nullius tangatur alterius rei cupidi-
tate; sed affectum omnem transferat in eam, summa
quadam propensione, & quasi pondere, quod præpon-
deret fomiti ad externa bona trahenti, & habendi cupi-
ditati, quæ *radix est omnium malorum*, l *& servitus ido-* l 1.Tim.6.10
lorum m, utpote quod avarus & finem constituit in crea- m Eph.5.5. Gal.5.20.
tura, & in eadem confidit, quoniam *ei cuncta obedire*
censentur. Dicit enim auro *robur meum, & obrizo fidu-* n Eccl.10.19.
cia mea n. *Argentum suum & aurum suum fecit idola*: o o Job 31.24 Bar.3.17.18.
simulacraque Gentium argentum, & aurum p, & ob im- p Osea 8.4.
modicam harum rerum *appetitionem errant aliqui à* q ps.114.4.
fide q, & exegit adorationem diabolus Christi, ut hæc r 1.Tim.6.10. Mat.4.9.
bona daret *r*. Anastasius quidem apud Agellium, volens
hunc psalmum in persona captivorum, qui Babylone
tenebantur cani, per avaritiam interpretatur idola, pe-
tique ne cor in ea inclinetur. Præter indicatum Pauli,
quod in Ezechiele *s* legimus, *& avaritiam suam, sequi-* s cap.33.31
tur cor eorum. Extat Græcè ὀπίσω τῶν μιασμάτων αὐτῶν ἡ
καρδία αὐτῶν ἐπορεύετο, *post inquinamēta sua cor eorum abiit.*
D Hebræum autem nomen, quod hic etiam extat בצע
betscbb, significat *questum, concupiscentiam, avaritiam*.
Unde videri posset deductum vocabulum Italorum
bezzo; pro pecunia, & de eodem egi psalm. 9. *t* Ut ergo t vers.14.9.
ponatur lex in corde Davidis à Deo, Deum rogat, ut
illud ad eam inclinet efficaci gratia sua, & per eamdem
removeat gravissimum avaritiæ impedimentum, ad
quam avaritiam tunc videtur Deus ipse inclinare, quan-
do non tantam gratiam conferendo, permittit, ut quis in-
clinetur in illam. Quod similibus aliis modis dicendi de-
clarare scripturæ solent, de quibus non semel egimus, ut u Esa 63.17
quod *errare nos faciat Deus de vita sua*; *u* quod *excæcet,*
induret, aggravet, tradat in reprobū sensū, &c. Talis ora-
tio alia, x *Non declines cor meū in verba malitię*. Huc fa- x ps.140 4.
cit ducta similitudo ex derivatis quopiam aquis, quam
retulimus priore versu ex Basilio, & est etiam Chrysost.,
quum scilicet aliquantulum propendere terram curatur,
ut sua sponte decidant, facto rivo, in declivē locum aquę.
Sicut divisiones aquarū; ait Sapiens, *y ita cor Regis in ma-*
nu Domini, quocumq; voluerit, inclinabit illud. Dominus y Pr.21.
initio solus divisit aquas ab aquis: & solus voluntatē no-
stram potest movere: huc etiam atq; illuc impellere, id-
que facilitate tanta, quam facile est aquas dividi. Exposi-
torem